Bogoris Bulgarorum Rex, picturæ ſtudio Chriſtianus. ☞ *Vide Tit. R[illegible]ionis diſcipuli.*

Mahometus II. Turcorum Imp. Bellinum Venetum pictorem, quem Conſtantinopolim, cum ut ſuam ipſius Imperatoris faciem ad vivam effigiem, tum verò ut occidentalium hominum habitus depingeret, Venetiis evocarat, largis muneribus ditavit. *Jovius in vita Mahometi II.*

Andreas Mantinea pictor Patavinus maximi nominis, Innocentii VII. Pontif. ingratitudinem peroſus, Mantuam, Roma relicta, ad principem Ludovicum Gonzagam reverſus eſt, à quo liberaliter ſpecioſis ædibus juxta ipſius Principis regiam, & prædiis locupletatus, civitate donatus, ibi deinceps cum tota familia vixit. Quocirca poſteà ab aliquibus falsò eſt Mantuanus dictus. *Bern. Scardeon. hiſt. Pat. l. 3.* ☞ *De Picturis obſcœnis fugiendis. Vide locum de Oculo, Tit. Oculorum cuſtodia.*

Scripſit è Veteribus de univerſo Picturæ genere, ac claris Pictoribus *Plin. l. 35. natural. hiſtor.* Et Quintilian. *lib. 12. Inſt. Oratoriarum.* Ex recentioribus Pomponius Gauricus, Leo Baptiſta de Albertis Florentinus ſcripſit de pictura tres libros. Albertus Durerus edidit Inſtitutionum B Geometricarum Libros IV. pro lapicidis, pictoribus, &c. De Italis, & Florentinis pictoribus, ſtatuariis, ex profeſſo ſcripſit Georg. Vaſarus Aretinus lingua Etruſca. De Patavinis Bernard. Scardeonus in hiſtoria Patavina. Evulgavit denique de Pictura, Plaſtice, Statuaria Tractatus duos Julius Cæſ. Bulingerus, hoc anno 1627.

---

* Pietas.

Definitio, et Etymologia.

Nomen Pietatis trifariam accipitur ab Auguſtino *l. 10. de Civit. c. 1.* Primò, ut idem ſit quod Græcis εὐσέβεια, & θεοσέβεια, & ita religione non diſtinguitur, atque ita omne opus bonum hoc nomine indicatur, ac monet Timotheum Apoſtolus 1. *epiſt. c.* 4. ut ſeipſum ad pietatem exerceat, eamque ad omnia utilem dicit. Et definitur ab eodem *Auguſtino epiſtola* 52. verax Dei cultus, unde omnia rectè vivendi officia dicuntur: & *Euſeb. de præpar. Evang. l.* 8. dicit, omnes virtutes eſſe velut partes pietatis, & Theodoſius Imperator idcircò omnem Chriſtiani hominis felicitatem ponebat in pietate, eamque moriens filio commendabat, teſte *Niceph. l.* C 13. *cap.* 1. *hiſtor.*

Secundò accipitur pro miſericordia ſive benignitate. Et ita Deo tribuitur, quando appellatur Pius, Pater, Clemens, Miſericors.

Tertiò pro virtute ſpeciali, qua parentes tanquam vitæ, & educationis auctores poſt Deum colimus. Ita accepit. *S. Th.* 2. 2. *q.* 101. & definitur ab *Aug. l. 38. qq. quæſt. 3. ex Cicerone*, hoc modo: Pietas eſt, per quam ſanguine junctis, patriæque benevolis, officium, & diligens tribuitur cultus. Ratio enim, quam pietas in ſuis obſequiis reſpicit, eſt debitum, quod habemus erga parentes, & patriam, quatenus ſunt principium ortus, & educationis: cui debito æquivalens in eodem rerum ordine, & obſequiis ordinariis reddere non poſſumus: ſed bene in ſupernaturalibus, & extraordinariis. Extenditur quoque hæc virtus ad parentes ſpirituales, qui nobis ſecundùm Deum ſunt Auctores vitæ ſpiritualis, per quam ſumus Chriſtiani, Religioſi, aut ad virtutem, & ſalutis ſemitam perducti.

Objectum.

D Objectum quod hujus virtutis, eſt cultus, & obſequium externum, ad quod ea ordinatur, profectum ab actu interno ipſius, eſtque ipſum opus hujus virtutis, quia proprium eſt virtutibus operativis facere ſuum objectum.

Objectum cui, parentes, conſanguinei, patria, & illi benevoli. Quippe parentibus tanquam vitæ auctoribus, Pietas defert cultum, aliis verò conſanguineis, quia in ipſis eſt parentum ſanguis. Patriæ verò tanquam aliquali principio ortus: benevolis autem, & fœderatis illius, quia in his auxilium, & favorem patriæ attendimus. Unde plerique pietatem confundunt cum juſtitia, quam legalem vocant, de qua *S. Th.* 2. 2. *q.* 58. *a.* 5. 2. 7.

Dignitas.

Pietas inter virtutes primum ſibi locum vindicat poſt Religionem. Sunt enim parentes velut ſecundarii Dei, & principia, reſpectu filiorum, eorumque eſſentiæ, vitæ, doctrinæ origo, & cauſa. Hinc eſt, quòd in Decalogo poſt præcepta primæ tabulæ, quæ ad Dei cultum pertinent, ponatur, honor exhibendus parentibus.

Usus. Utputa Pietatis Exercitatio.

☞ *Pete ex loco de Filiis, Parentibus. Patria. Educatione.* E *Inſtitutione. Fidelitate, Oratione, Templis, Sacrificio.*

S. Trudo etiamnum puer, primos jam virtutis fructus proferebat. Cùmque is ſuperbi ſanguinis multa generoſitate polleret; major tamen ei divini amoris, & virtutum ardor, atque ſtudium inerat, adeò ut quandoque voto ſe obligaret, ſi Chriſto opitulante ſacras didiciſſet litteras, ſe in fundo ſuo Eccleſiam exædificaturum, illic Domino perpetuò ſerviturum, & quos poſſet, ad Dei cultum, & miniſterium ſibi ſocios aggregaturum. Atque eo flagrans deſiderio, nocturna viſione afficitur, & Angelica conſolatione hunc in modum confirmatur: Noveris frater, inquit Angelus, ea vota, quæ Chriſto puer nuncupaſti, illi eſſe grata, preceſque illum admiſiſſe tuas: nec dubites, quin quod præveniens tibi adſpiravit, etiam adjuvando ſit proſecuturus, & affectum perducturus in effectum. Ille, inquam ſapientia ſua imbuet cor tuum, & erudiet te præceptis ſuis, & legem ſuam inſcribet pectori tuo. Porrò autem etiam ad Eccleſiaſticæ dignitatis munia eveheris, multoſque Chriſto, & Eccleſiæ ejus filios tuis verbis, & exemplis generabis. F Atque ut de his certior efficiaris, beatum Remaclum adito, qui non procul hinc abeſt. Illi Deus revelavit, quid tibi faciendum ſit, ille diriget eò greſſus tuos, quò tu tantopere aſpiras. *Notger. Epiſc. Leod. qui claruit an. 850. in vit. S. Remacli, c. 6. Sur. 3. Sept. tom. 5.*

Pietatis dono inter pios maximè excelluit B. Franciſcus Aſſiſias Franciſcanorum parens: ipſum enim pietas totum transformabat in Chriſtum; Animas peccatorum deplorabat, quòd ſanguine Chriſti eſſent redemptæ; Prædicatores verbi maximè venerabatur, quòd ſemen fratri ſuo, id eſt, Chriſto reſuſcitarent; Benedicebat illos, qui ita loqui didiciſſent, ut verbis ſuis alios ad Chriſti amorem inducerent. Si quid penuriæ, aut defectus (extra culpæ crimen intellige) in aliquo cerneret, pii cordis dulcedine regerebat in Chriſtum: Ajebat ſociis: Dum pauperem vides, ò frater, ſpeculum tibi proponitur Chriſti, ipſeque in pauperibus in omnibus Chriſti effigiem contemplabatur. Animalcula quælibet ex pietate fratres, & ſorores appellans, ea viſceroſius amplexabatur, quæ Chriſti manſuetudinem referunt. Redemit interdum agnos, qui ducebantur ad mortem, illius memor agni mitiſſimi, qui ad occiſionem duci voluit pro peccatoribus redimendis; Sui agniculum, in quo Chriſtum infantem recognoſcebat, necanti crudeliter maledixit, & mortua eſt; Nomen G Jeſus cùm exprimeret, vel audiret, jubilo quodam repletus interiùs, totus videbatur exteriùs alterari, ac ſi mellifluus ſapor guſtum, vel harmoniacus ſonus ipſius immutaſſet auditum. *D. Bonavent. in vita ejus c.* 8.

Caroli Magni pietas minimè hoc loco prætereunda. Chriſtianam enim religionem, qua ab infantia fuerat imbutus, ſanctiſſimè excoluit. Eccleſiam mane, & veſperi, item nocturnis horis, & ſacrificii tempore, quoad valetudo corporis permiſit, impigrè frequentabat, conabaturque magnopere, ut omnia, quæ in ea gerebantur, cum maxima fierent honeſtate, æditus creberrimè commonens, ne quid indecens, aut ſordidum inferri, vel in Eccleſia remanere permitterent: ſacrorum vaſorum ex auro, & argento, veſtimentorumque ſacerdotalium tantam comparavit copiam, ut nemo in miniſterio habitum privatum habere permitteretur: legendi, atque pſallendi diſciplinam emendavit diligentiſſimè, erat enim in utroque peritus, quanquam ipſe nec publicè legeret, nec niſi ſubmiſſe, & in communi cantaret. *Jo. Naucl. vol. 2. Chronograph. Gener. 28. ſub an. Dom.* 811. H

Aurelianus Romanorum Imperat. & Chriſtianorum oſor, cogebat omnes ſacrificare dæmonibus, non ſolùm viros, & mulieres, ſed etiam pueros. Maximè autem ei curæ erant pueri. Exiſtimabat enim ſe facilè eos eſſe inducturum propter ætatis teneritatem. Sed alii quidem pueri re vera cedebant voluntati Imperatoris: qui autem cum Mamante ventitabant ad ludum litterarium, imitabantur ipſi quoque canam Pueri prudentiam, & nec verba quidem audire neceſſe habebant. Quotidie enim docebantur honeſto illo Pulchri Mamantis ſpectaculo, & exemplo, ſolum verum agnoſcere Deum univerſi opificem, & ei rationale animorum offerre Sacrificium: eos autem, qui ab impiis, & coluntur, & adorantur dii, nugas exiſtimare, & plenos probro, & dedecore. *Sim. Metap. in vita ejus c. 6. apud Sur. 17. Aug. tom. 4.*

Hoc loco nequaquam videtur ſilentio involvenda B. Petri Damiani S. R. E. Cardinalis, Epiſcopi Oſtienſis in proximum pietas: cùm enim quadam die, unà cum ſuo ſodali, cujus

A opera utebatur, pranderet, neque extra unicum ex ſimilagine tritici panem quidquam haberet, ſodalique, qui eodem cibo uti conſueverat, cibarius, & ſecundarius panis eſſet appoſitus, ſecum loqui cœpit: *Chriſtus ad menſam meam, inferior mihi eſt:*

Jamque his, atque aliis animo repetitis, cùm panem cum illo mutare decreviſſet, pudore tamen retractus eſt. Itaque comedentem pavor ſenſim arripuit, & horror corripuit viſcerum, tandemque piſcis, quæ tranſverſa in gutture inhærebat, ſpina, nullis cedens remediis ſtrangulabat, cùm id ob panem ex ſimilagine ſodali minimè tributum accidiſſe exiſtimans, commutato pane, primo ejus bolo convaluit: quamobrem, ſuprà quàm dici poteſt lætus, aperuit cunctis miraculum. *Hier. Raven. lib. 5. hiſtoriog. Aloſ. Lippom. to. 8. & Sur. 22. Febr. to. 7.*

Cum B. Macrina virgo, D. Gregorii Nyſſeni Pontificis ſoror, ad matrimonium ineundum inſtigaretur, abſurdum, & iniquum eſſe reſpondit, ſibi non permitti, ut illud conjugium coleret, quo ſemel à patre devincta eſſet: ſed ad alterum cogi reſpicere, cùm unum natura ſit matrimonium, quemadmodum unus ortus, & una mors. Eum verò, cui à parentibus fuiſſet deſponſa, non eſſe mortuum contendebat, ſed ſpe reB ſurrectionis Deo vivere. Quapropter eum ſe non obiiſſe, ſed peregrè profectum eſſe judicare, & nefas fore, ſi peregrinanti ſponſo fidem non ſervaret. Ejuſmodi rationibus repellens eos, qui ſibi perſuadere conabantur, decrevit in illo, quod ſibi propoſuerat, perſtare, ac ne momento quidem temporis à latere matris unquam diſcedere. Quamobrem ei ſæpe dicebat mater, ſe reliquos liberos in utero, tempore quodam præfinito geſſiſſe; illam verò perpetuò in viſceribus ſuis quodammodo circumferre. Filiæ tamen convictus nec laborem matri, nec damnum afferebat. Quin etiam officioſa ejus ſedulitas multarum ancillarum inſtar erat, & mutua quædam inter eas vigebat remuneratio. Siquidem altera cuſtodiebat animum filiæ, altera corpori matris inſerviebat, eique in reliquis officiis omnibus miniſtrabat, ut propriis etiam manibus matri panem præberet. Quæ tamen illi præcipua cura non erat: ſed poſteàquam ſacris officiis ſatisfecerat, exiſtimans id ſuo vitæ inſtituto convenire, ex labore ſuo matri victum ſubminiſtrabat. *D. Greg. Nyſſen. in vita ejus, apud Sur. 15. Jul. c.* 5.

Petrus Damianus Eccleſiæ ſui temporis ſtatum deplorans hæc ſcribit: Fuit olim, ſed jam elapſum eſt tempus, ut modeſtiæ pudor, mortificationis inſigne, digna ſeveritas, & ſacerC dotalis ingenii valeret ſervari cenſura. Nam ut me ſolum dignè coarguam, videtis ipſi, quia protinus ut ad vos veni, ecce ſales, ecce facetiæ, lepores, urbanitates, volumina quæſtionum, omneſque verborum inanium peſtes inſolenter erumpunt, quę non jam Sacerdotes, ſed potiùs Oratores, & Rhetores, ſive (quod inhoneſtum eſt) ſcurras oſtendunt. Mox enim ut verba conferimus, paulatim quædam lenocinia confabulationis adulterinæ ſubrepunt, & omnem animi vigorem indecenter emolliunt, & ſeveritatis robur in excuſſum riſum, & turpes jocos diſſolvunt. Hinc eſt, quod animus extra ſe ſparſus confunditur, acies cordis obtunditur, lux divini amoris extinguitur, terror in alios, & reverentia ſacerdotalis amittitur; & quod periculoſum eſt, rectè vivendi lineâ, quæ aliis ad exemplum proponenda fuerat, non tenetur. Quod ſi nos pudore, vel metu hæc declinare contendimus: mox inhumani, rigidi, & quos Hyrcanæ genuerunt tigres, ſaxei judicamur. *Pet. Damian. epiſt. ad Alex. & Hildebrand. Baro tom.* 11. *an.* 1061. 40.

Hieroglyphica.

D In antiquis operibus Juvenes duo ſubjecti jugo, currum trahere conſpiciebantur: erant hi Bithon, & Cleobis fratres. Hieroglyphicum id eorum indicabat pietatem, qui matrem currui impoſitam ad Junonis templum vexerint. Hiſtoriam & Pauſanias, & alii tradidere. *Pier. Val. lib. 3. pag. 31. B.*

Recte & pietatem, quæque mutuo mortales mortalibus officia debent, per *Formicam* expreſſeris: ſi commeare eas in formicarium ſpectes, Formicæ alterius cadaver inferentes: prodire ex cavo aliquas, factaſque obviam retrocedere quaſi conſternatas: alias demum vermiculos ab inferiori loco, utpote redemptionis prĕmia, quibus cadaver redimat convectare: alias verò tentare, ſi quæ diſſectæ fuerint, ut partes committant, & cohærere faciant, &c. *Pier. Val. lib. 8. pag. 69. B.*

Ciconiam videre eſt paſſim in Hadriani Imp. nummis adjecta inſcript. *Pietas Auguſta.* Significat hæc hominem erga parentes pium, & veræ charitatis inſignem. *Pier. Val. lib. 17. pag. 157. B.*

* Pigritia.

* Definitio, et Etymologia. E

Pigritia, Græc. ἀεργία, & ἄεργος, piger dicitur. Eſt autem pigritia metus conſequentis laboris *ſecund. Cicer. l. 4. Tuſc. quæſt.*

Perſius mores pigrorum deſcribens, ita canit *Satyr.* 5.

Cras hoc fiet, idem cras fiet, quid? quaſi magnum
Nempe diem donas? ſed cum lux altera venit,
Jam cras heſternum conſumpſimus: ecce aliud cras
Egerit hos annos, & ſemper paulum erit ultra.
Nam quamvis prope te quamvis temone ſub uno
Vertentem ſeſe fruſtra ſectabere cantum
Cum rota poſterior curras, & in axe ſecundo,

Similiter *Mart. lib. 5. Epigram.*

Cras te victurum, cras dicis, Poſthume, ſemper.
Dic mihi cras iſtud, Poſthume, quando venit?
Quam longe cras iſtud ubi eſt? aut unde petendum?
Nunquid apud, Parthos Armenioſque latet?
Jam cras iſtud habet Priami, vel Neſtoris annos:
Cras iſtud quanti dic mihi poſſet emi?
Cras vives, hodie jam vives. Poſthume, ſerum eſt.
Ille ſapit, quiſquis, Poſthume, vixit heri. F

Partitio.

Pigritia alia eſt corporalis, alia ſpiritualis, quæ diſtinctio ſumitur ex ratione objecti, quod pigritia reſpicit, ſive è re ipſa, quæ ex pigritia, aut ſocordia negligitur. Spiritualem autem vocant propriè Acediam, de qua multa in loco proprio in littera A.

Apophthegmata.

Themistocles pigritiam hominis vivi ſepulturam vocavit: qui cùm expletis centum, & ſeptem annis, ſe mori videret, dixiſſe fertur, ſe plurimùm dolere, quod de vita tunc egrederetur, quando ſapere cœpiſſet. *Plut.*

Democritus, perpetuam cunctationem, actiones omnes imperfectas reddere dicebat. *Stob. ſerm. de Aſſiduit.*

Eusebius Philoſophus, Ignavia, inquit, corpus tabefacit, animam ſocordia. Exercitatio vero ad ſpeciem Deo ſimillimam ipſam evehit. *Stob. ſer. de Otio.*

Anaxarcus dicebat, ſi quis alterum audiret imprecantem ſibi manus, & pedes inutiles, iratum illi proculdubio fore, divites autem cum re ipſa manus ſuas, pedeſque faciant inutiles interim ob hoc ipſum ſe beatos exiſtimare, G *Eod. ſerm.*

Hieroglyphica.

Multis hieroglyphicis elegantiſſimis Sapiens Salomon pigritiam traducit, & deteſtandam exhibet, Proverbiorum, & Eccleſiaſt. libro. Tabellas belliſſimas lectori vigilanti ſpectandas proponimus.

1. Vide, *Prov. c. 6. v. 9.* 10. 11. pannis obſitum, lacerum, ſquallidum nebulonem, manibus complicatis dormientem, quem egeſtas ut viator armatus circumobſidet.

2. Alio loco, pigrum in menſa accumbentem intuere, manum applicantem ſub axilla, nec ad os applicantem, quod gravem laborem in eo poſitum eſſe putet. *Prov. 26.* 15. Huc refert lepidos verſus Cratis comici apud Athænæum *l. 6.* de votis cujuſdam ignavorum ignaviſſimi in Morona Inſula ridiculè ſomniantis.

Pilus. Capillus.

* Definitio, et Etymologia. H

Pilus eſt illud, quod inſtar fili è cute evaporante naſcitur *Albertus Mag. tract. 5. de Juv. & Senect.* dicit eſſe vaporem de corporis poro exſpirantem, & ad aerem exſiccatum, & obduratum, ubi cauſam pilorum indicat. Omnia autem, quæ generant, pilos habent, aut aliquid eorum loco. Ita aculeos erynaceus, ſquammas piſces, plumas aves producunt. Alii tamen ſunt pili congeniti, alii poſteà erumpunt *Iſidor. l. 11 cap.* 1. vult pilos dici à pelle ex qua prodeunt. Aſſentitur Perottus. Unde Itali dicunt *peli.* Poſſet deduci hæc vox à πτίλον, quod plumam ſignificat, ſunt namque pili inſtar plumarum, alii à πολιὸς eſt enim pilorum paſſio τὸ πολιοῦσθαι, ut Euſtathus obſervat, & caneſceret facit gerentes.

Pili. Capilli.

Detonſi. Abraſi. qui raſerint? Sacri homines.

Sacerdotes Judæorum tondere comam, non radere, Moyſes in Levitico juſſit, & apud Ezechielem Prophetam, Chriſtianorum verò ſummum radunt verticem. Vel ut liberam mentis in capite reſidentis cum cœlo conjunctionem eſſe

debere

debere inſinuent, & influxum cœleſtem liberiorem externo A hoc ſymbolo indicent: vel ut Petrum imitentur (*Beda auctore in hiſt. Eccleſ. Anglorum*) cui Antiochiæ concionanti ab impiis ludibrii cauſa vertex raſus eſt: vel imitatione Nazaræorum, qui poſt magnam vitæ continentiam raſos capillos in ſacrificii ignem immittebant, pietatis ſuæ perfectionem Domino ea ratione conſecraturi: ut *Joſephus l.4. Antiq.* teſtatur.

Anacletus I. ſub Trajano conſtituit, ne Præſul, neve Clerici barbam, vel comam nutrirent. *Platina*.

Moris eſt in Ægypti, & Syriæ monaſteriis, ut tam Virgo quàm Vidua, quæ ſe Deo voverint, & ſæculo renunciantes omnes delicias ſæculi conculcarint, crinem monaſteriorum matribus offerant deſecandum, non intecto poſteà contra Apoſtoli voluntatem inceſſuræ capite, ſed ligato pariter, & velato. Nec hoc quiſpiam præter tondentes novit, & tonſas, niſi quod quia ab omnibus fit, penè ſcitur ab omnibus. Hoc autem duplicem ob cauſam de conſuetudine verſum eſt in naturam: vel quia lavacrum non adeunt: vel quia oleum nec capite, nec ore norunt, ne à parvis animalibus, quæ inter cutem, & crinem gigni ſolent, & concretis ſordibus opprimantur. B *Hieronymus ad Sabinianum*.

Sacerdotes Chriſtiani, qui in orientis Solis regionibus habitant, in capite ita ſunt attonſi, ut Crucis imaginem in vertice ſummo contineant. Vino ex paſſis uvis confecto in ſacrificiis utuntur. *Oſor. l.3. rerum Em.*

Herodotus in Euterpe, & Plinius ſcribunt, Sacerdotes Ægyptios conſueviſſe deraſis capitibus mœrere, & in luctu eſſe, ex morte Apis, qui in Ægypto numinis vice colebatur: ac demùm totum corpus eradere, ut ne quid eis inter deorum cultum, aut pediculi, aliarumve ſordium crearetur. *Polyd. l. 4. c.8. de Rerum invent.*

Profani homines.

Ægyptii omnes capillos nutriunt, barbam tamen radunt. *Herod. l.3.*

Arabes mitrati degunt, aut intonſo crine: barba abraditur, præterquam in ſuperiore labro. Aliis & hæc intonſa: mirumque dictu, ex innumeris populis pars æqua in commerciis, aut latrociniis degit. *Plin. lib.6. cap.28.*

Scribit Ariſtoteles, magiſtratum ineuntes Ephoros præcipere ſolitos Spartanis κείρεσθαι τὸν μύστακα, καὶ προσέχειν τοῖς νόμοις, ne cogerentur ſævire. De barba verò fit mentio, ut C vel in minimis inſueſcerent πειθαρχεῖν. *Cæl. l.3. c.25. Lect. Antiq.*

Cùm lex eſſet in Rhodo, ne quis raderetur, nullus eſt repertus, qui eam ſervaret, quoniam omnes Rhodii radebantur. Cùm multa conſtituta fuiſſet Byzantii tonſoribus, qui novaculam habere comperirentur, omnes nihilominus ea utebantur. *Athen. lib.13. c.6.*

Servis apud Græcos comam nutrire nefas habebatur. *Cælius l.7. c.ult. Antiq. Lect.* In eandem ſententiam alicubi dixit Alexis:

Si quem reciſa fortè barba videris.
Tonſave, facturum quid horum dicito:
Mihi videtur militare velle, vel
Feciſſe barbæ cuncta, quæ contraria,
Ingenſve contigiſſe prorſus huic malum.
Quid per deos villi moleſtiæ afferunt,
Ob quos viri videmur eſſe ſinguli?
His quid putas feciſſe contrarium.

Athen. lib.13. cap.6.

D Quendam abraſum mentum habentem cùm vidiſſet Diogenes, dixit: Nunquid naturam accuſas, quia te virum, non autem mulierem fecerit?

Rom. Patricii olim, mediæ ætatis, barbam raſitabant. Eamque ob cauſam pleræque veterum imagines non admodum ſenum, ſed in medio ætatis, ita factæ erant. Hinc de P. Scipione Africano, Pauli F. ſcriptum eſt, cùm victis Pœnis cenſor fuiſſet, & eidem Claudius Aſellius Trib. pl. (cui equum in cenſura ademerat) diem ad populum dixiſſet, neque barbam deſiiſſe radi, neque candida veſte uti, neque fuiſſe cultu ſolito reorum. Eo autem tempore minor erat Scipio quadraginta annis. *Gell. l.4. c.4. Noct. Att.*

Nero Imp. certamine Gymnico, quod in ſeptis edebat, inter buthyſiæ apparatum, barbam primam poſuit, conditam in auream pyxidem, & pretioſiſſimis margaritis adornatam in Capitolio conſecravit. *Suet.*

Magnus Sfortia tonſo capillo, & deraſa barba ſemper inceſſit: quòd ita concluſa caſſide utentibus expediret: coccineo capitis tegumento ſemper inſignis, quod duobus gradibus in præaltam, ſtriatamque pyramidem exſurgebat. *Jovius in vita Sfortiæ.* E

Selimus Turcicus Imp. dicere conſueverat, ſe non nutrire prolixam barbam veluti Bajazetes pater effecerat, ne Baſſæ manibus in illam injectis, ducerent Principem quò vellent, quemadmodum evenerat patri ſuo. *Jovius in vita ejus.*

Heliogabalus in balneis ſemper cum mulieribus fuit, ita ut eas ipſe pſilothro curaret. Ipſe quoque barbam pſilothro accurans, quodque pudendum dictu eſt, eodem quo mulieres accurabatur, & eadem hora. *Lamprid.*

Quo Modo.

Raſura videtur dividi poſſe ratione capitis, quod raditur. Nam vel totum raditur, & hæc κουρὰ ἐν χρῷ, id eſt, uſque ad cutem dicitur, ſive novacula fiat (ut hodie Turcæ, & bajuli apud Venetos) ſive forfice. Vel raditur parte tantùm, vel σκάφιον, vel κῆπος erat σκάφιον ſimilitudine ducta à ſcapha, in rotundum tondebatur per capitis ambitum, uti hodie apud nos ruſtici vertice comato, nulla cæſarie promiſſa, cervice nuda: neque alio cultu egebat tonſura iſta, cujus *Ariſtophanes in Avibus* meminit, κῆπος verò, id eſt, hortus, cæſariem denotare videtur promiſſam F in humeros, & cincinnis ornatam, facie libera, horti inſtar aſſiduo cultu egentem, ne cincinni turbentur, & cæſaries implicetur.

Priore capitis tondendi more Abantas primùm uſos ſi auctori Homero credimus, τῷ δ' ἅμ' Ἄβαντες ἕποντο θοοὶ ὄπιθεν κομόωντες (non ab Arabibus, ut quorundam fert opinio) neque æmulantes Myſos: ſed quòd bellatores eſſent, cominuſque pugnarent, & præter cæteros conſerere manus didiciſſent cum hoſtibus, ut teſtatur Archilochus, ne nexum hoſtibus capillorum præberent. Id Alexandrum quoque Macedonem animadvertentem, edixiſſe ajunt ducibus ſuis, ut barbas Macedonum raderent, quòd anſa ſit hæc in præliis promptiſſima. *Plut. in Theſeo.*

Circa maritima Africæ, occaſum versùs, Macæ populi ſummum capitis verticem radunt, in medio capillos creſcere ſinentes, hinc, atque hinc in orbem tondentes, *Herod. l.4.*

Maxyes Africæ populi, dextra capitis parte comam geſtant, ſiniſtram radunt, corpus minio tingunt: aſſerentes, ſe à Trojanis eſſe oriundos. *Herod. l.4.*

Machlyes Afri, occiput crinitum geſtant, tonſa ante- G riore parte. *Herod. l.4.*

Auses (vel, ut Strabo vult, Anaſes) anteriorem partem crinitam habent, occiput verò tonſum. *Herod. lib.4.*

Arabas, quemadmodum Dionyſium, ita puellarum capillum tondere ajunt. Tondentur autem in rotundum, tempora ſubradentes. *Herod. l.3.* Iidem barbam abradunt, præterquam in ſuperiore labro. *Raviſius.*

Spartani pueri ad cutem tondebantur. *Sab. li.1. En.2.*

M. Antonino Commodi patre imperante, omnes familiares ejus ad cutem uſque tondebantur. Lucius verò Antoninus Mimos eos appellabat, & comam nutriebat. *Gal.6. Epidem. com.4. aphor.9.*

In quendam variè ſe tondentem, *Mart. Epigr. lib.8.*

Pars maxillarum tonſa eſt tibi, pars tibi raſa eſt,
Pars nulla eſt, unum quis putet eſſe caput?

Longobardis mos erat à cervice ad verticem uſque radere, à fronte capillos diſcriminatos ad os uſque demittere. *Bonfin. l.8. Dec.1.*

Homines injuriis affecti, ad væcordiam converti ſolent: id H quod & Venetis accidit ſub Juſtiniano, inquit *Suidas ex Procopio*. Ac primùm factioſi, novam capillorum rationem inierunt. Radebant enim eos ſecus quàm alii. Nam myſtacem & barbam nuſquam attingebant, ſed quàm promiſſiſſimam ſemper alere more Perſico ſtudebant. Capillos verò anteriores uſque ad tempora detondebant: poſteriores quàm longiſſimos dependere, nulla ratione, ut Maſſagetæ, ſinebant. Qua de cauſa tonſura illa Hunnica dicebatur.

Tartari caput ex tranſverſo ad utraque uſque tempora radunt, præter verticem, ad equinæ ſoleæ ſpeciem raſuram obducunt. Radunt item occiput, longoſque capillos ab aure demittunt: qui quidem mos, Turcarum, Saracenorum, & Cumanorum olim erat. *Bonfin. lib.8. Dec.2.*

Turci à Caſpiis portis erumpentes, Armeniamque infeſtantes, cùm peſtilentia fuiſſet graviſſima, ſuaſu Chriſtianorum in modum crucis ſe totonderunt: & quia per hoc ſignum ſalus patriæ reddita eſt, hunc tondendi ritum tenuerunt. *Sigeb. in Chron.*

Quo

Quo Inſtrumento.

A Raſura olim fiebat vel novacula, διὰ ξυρῷ, & hæc ξύρησις propriè dici videtur: vel διὰ ψαλίδων, ἢ διπλῆς μαχαίρας, forficibus: & hæc fortaſſis, κουρὰ propriè erit. *Plut. in Captivis Act.2. Scen.2.* inquit. Strictimne attonſurum putem, an per pectinem. Illa per novaculam (ſic Juvenalis, cùm ſtricta novacula ſupra eſt) hæc per forficem. An verò utraque ἐν χρῷ uſque ad cutem, cùm totum caput tonderetur?

Sabinorum Sacerdotes æneo cultro tonderi ſolebant.

Quando,

Ægyptiorum Sacerdotes tertio quoque die totum corpus radunt, ne quid eis inter deorum cultum, vel pediculi, vel alterius ſordis creetur. *Herod. lib.2.*

Apud Germanos, Cattoſque nefas fuit barbam, capillumve tondere, niſi quis ex acie hoſtis caput retuliſſet. *Alex. l. 5. cap.18.*

Peluſiotæ Ægyptii capillum tondent ſeneſcente luna. *Herodotus lib.2.*

Mentum radere, Alexandri temporibus eſt in Græcia inventum, ut aſſerit *lib.4. de Voluptate, & bono Chryſippus*, cùm non raderetur priùs. Nam & Timotheus tibicen cùm magnam B haberet barbam, tibias inflabat, & Athenis non valde antiquum eſſe inquiunt, qui primus fuit tonſus, qui tonſoris denominationem obtinuit. *Athen. lib.13. cap.6.*

P. Ticinius anno ab Urbe condita 454. primus tonſores Romam è Sicilia adduxit: & inde ut juvenes raſitarent barbam, capillumque tonderent, inſtitutum manſit. *Plin. l.7. c.59.*

Barbam quotidie raſitandi, togatorum primus morem P. Scipio Africanus induxit, cùm intonſa olim eſſet Romana civitas. Retulit conſuetudinem hanc Africani omnium ſtudioſiſſimè Cæſar Auguſtus, cunctorum alioqui principum, qui Romæ rerum potiti ſunt, laudatiſſimus. *Sab. lib. 6. cap.2.*

Lothario Imp. rebellantibus Friderico, & Conrado fratribus, Alſatiæ Ducibus (quòd Friderico ſumma ſpes eſſet conſequendi regnum) pervenit res ad apertum bellum: obſedit Lotharius Spiram. Qua in expeditione cùm ferè omnes per temporum conſuetudinem nutrirent comam, multis Germanorum in exercitu Cæſaris fulmine ſunt exuſti capilli: & credita eſt ultio divina: ceſſavitque ea abuſio nutriendorum, & tantopere excolendorum capillorum. *Crantzius lib.6. Me-* C *trop. cap.10.*

Circa annum ſalutis 1481. Germani Principes cœpere capillos tondere ſibi, ſuiſque. Miſere invicem ſibi literas, incluſis forficibus cum mandatis. Erant, qui capillos ſeriò tutarentur. Sed iis vel vigilantibus per vim, jocumve, vel dormientibus, inſidiabantur cæteri, militaribus viris indecorum arbitrati, ſi ut puellæ comas alerent. *Crantz. lib.13. Vandaliæ, cap.23.*

Cur Cauſa.

Religionis.

Nazaræi, quorum ſecta apud Judæos celebris erat, priùs ſervato, denuò poſt magnam vitæ continentiam, caput abradebant, capilloſque in ſacrificii ignem iniiciebant, ut eo modo ſuæ pietatis perfectionem Domino conſecrarent. Meminit & Joſephus de hujuſmodi more dedicandi capillos, quem Nazaræi obſervabant, *lib.4. Antiq.*

Capillus reſectus deorum honori dicabatur θρεπτήριος, ut eſt apud Æſchylum. Reliquis verò πενθητήριος, ab luctu ita nuncupatus: quòd uſitatiſſimi foret moris in Græ- D cia, per luctum comam recidere: & inter navigandum tempeſtate urgente pervellere (item fuſis precibus, quod ſcribit in libro de ſua ipſius vita Libanius) alio tempore omni connutrire, niſi ubi vigore ætatis præciſus, offertur Deo capillus, quem inde quoque Threpterium nuncupari ſolitum conjectamus: nam & Threptra à Græcis connutricationis dici collata præmia, compertum eſt. *Cælius lib.7. cap.23. Ant. lect.*

M. Varro in Catone, vel de liberis educandis apud Nonium refert, Ambraciæ primùm capillum puerilem demptum, item cirrhos ad Apollinem ponere ſolitos.

Frequens tonſuræ nomen eſt Theſeis, ab Theſeo Athenis producta. Etenim inoleverat mos vetus, ut qui Ephebi eſſent, capillum, & barbam fluminibus, & Apollini primùm tonderent, quem Curotrophon vocabant: ſicut apud Homerum Achilles facit, & in Theſeo à Plutarcho eſt repetitum: eo argumento, quòd ex humecta, fervidaque natura conſtant animantium incrementa. Delphos itaque profectus Theſeus, comæ primitias obtulit Deo, anteriore capitis parte abraſa. Nam alii temporum comam offerebant, alii poſteriorem, ut eſt *apud Pollucem*. E

Ex vetere inſtituto legimus, in Ponto Comana nuncupari, ab exciſa inibi ab Oreſte coma: quod, ut ſcribit Procopius Perſici belli primo, & ſignificat Strabo, ex Tauris cum ſorore profectus, in valetudinem incidens, oraculum accepiſſet, non deſiturum morbum, ni ædificato, quale apud Tauros reliquiſſet, templo. Quare conſpecto in Ponti regione prærupto monte, civitatem condidit, illum Tauro conſimilem arbitratus, ac Dianæ templum, lugubri coma præſecta, extruxit. Verùm graſſante nihilo ſecius mali vi, rurſum in Cappadocia montem nactus Tauricis perſimilem, altera excitavit Comana, de comæ rurſum præciſæ argumento. Morbum non alium fuiſſe augurantur, quàm inſaniæ, qua ſit enecta matre, correptus. *Cæl. lib.7. cap.23.*

Herculis ſimulachrum rati inſertum, è Tyro mari delatum incerta de cauſa, cùm ad ſe pertraherent Jones, & Chii contenderent: Erythræus quidam Phormio, piſcator cæcus, ſomnio monitus, indicavit, ſi Erythræenſes ex capillo uxorum ſuarum deraſo funes contexuiſſent, ratem facilè ad ſe pertracturos. Et ſomnio ut obtemperarent, cùm cives fœminæ in animum ſibi non inducerent, è Tracia Mulieres, F quæ voluntaria ſervitute, ingenuæ cùm ortu eſſent, victum ſibi apud Erythræos quæritabant, ſe tondendas præbuerunt. Quare jam rate potiti Erythræi edixerunt, ſolis è Thracia mulieribus in Herculis fanum introire ut liceret. Oſtendunt autem funiculum illum è comis hac etiam ætate, à ſe diligenter conſervatum. Et piſcatorem illum oculorum calamitate liberatum, in reliquum omne vitæ tempus oculis probè uſum affirmant. *Pauſanias in Achaicis.*

☞ *De Tonſura Clericorum, & Monachor. Vide locum de Cler. & Relig. Neceſſitatis.*

Ponderis.

Absalon Davidis F. caput quotannis tondebat, capilli onere preſſus: & cæſaries detonſa ducentos ſiclos, pondere regio (hoc eſt, quinque minas) pendebat. 2. *Reg.*14. Addit *Joſeph.* vix octo diebus tonderi potuiſſe, *lib.7. Ant. c.8.*

Pugnæ.

Archemachus Eubœus, Curetas inquit Chalcidem Eubœæ incoluiſſe: aſſiduè verò de Lilanto campo bellum gerentes, cùm hoſtes Ætoli anteriorem captarent cæſariem, eoſque diſtraherent ab occipite capillatos extitiſſe, à fronte detonſos. Unde ἀπὸ τῆς κουρᾶς, id eſt, tonſura, κουρῆτας, id G eſt detonſos appellatos, & in Ætoliam habitatum migraſſe: cumque Pleuronis loca poſtmodum occupaſſent, trans Acheloum oram incoluiſſe. Ubi cùm intonſa ſervarent capita, Acarnanes vocari cœpiſſe, quaſi ἄνευ κουρᾶς, hoc eſt, intonſi. *Stra. lib.10.*

Alexander bellum gerens imperabat Ducibus, ut barbas Macedonum raderent, ne facilem anſam hoſtibus ad capiendum præberent. *Polyænus lib.4.* Cum Dario certè conflicturus, omnibus ad conflictum inſtructis, requiſiverunt Duces, Nunquid prætereà vellet? Nihil, reſpondit, niſi ut Macedonum menta raderentur. Demirante Parmenione: Ignoras, inquit, nexum in pugna non eſſe barba meliorem? *Plut. in Regum Apoph.*

Indignationis.

Curetes, ait Philarchus libro Hiſtoriarum undecimo ſcripſiſſe Æſchylum, ita fuiſſe dictos, ex eorum deliciis:

Cincinnus eſt comæ, velut eſt & virgini:
Curetes inde populus ipſe dicitur.

Agathon ſcribit in Thyeſte, Pronactis filiam in matrimonium petentes, cùm reliquis omnibus ornatos acceſſiſſe, H tum caput comptum habentes. Verùm ubi nuptias non ſunt conſecuti, coma detonſa, glorioſum nomen acquiſivere Curetum, *Athen. l.21. cap.11.*

Argivi à Spartanis Thyreæ poſſeſſione exuti, cùm anteà comati fuiſſent, legem ſanxerunt, ut tonſis capitibus viri non prius capillum alerent, nec mulieres aurum geſtarent, quàm Thyream recuperaſſent. *Sabel. l.3. En.2.*

Luctus.

Sybari à Crotonitatis direpta, omnes Mileſii capita, barbaſque raſerunt, & ingentem luctum ediderunt. *Herod. lib.1.*

Scythæ ob calamitatum, quæ eos invaſerunt, multitudinem, comas per totam nationem depoſuerunt. Hinc Græci ob iniuriam totondiſſe appellarunt ἀποσκυθίζειν. *Athen. lib.12. cap.7.*

Dignitas.

Vitoldus Lituaniæ Dux, adeò diverſum moribus, & habitu à ſuis popularibus ſeſe præbuit, ut illos tonderi edicto juſſerit, ſibi tanquam majeſtatis inſigne barbam intonſam retinuerit,

nuerit. At cùm id non ſuccederet, caput ipſe, genaſque raſit: A capitalem pœnam Lituanis comminatus, qui ſuo exemplo barbam, aut comam deponerent. Hic dicere ſolebat, Plebem legi, legem autem Principi ſubjectam eſſe oportere. *Æneas Syl. l.4. Com. in res geſt. Alphonſi, cap.25. Europæ.*

Decoris.

Theophilus Imp. cùm natura calveſter eſſet, edicto juſſit capillos ab omnibus tonderi, neque ultra collum demiſſos geſtari, ſub gravi flagrorum mulcta. *Cedrenus.*

Ignominiæ.

Suetonius in vita C. Caligulæ, de ejus invidia contra omnes ſcribens, cum ait pulchros, & comatos quoties ei occurrerent occipitio raſo ſolitum deturpare.

*Lib.2.Reg.cap.*10. Hanon Moabitarum Rex raſit dimidium barbæ Servis David, præciditque veſtes uſque ad nates, nimirum ignominiæ cauſa: Quæ res atrocis belli cauſa fuit. *Eraſ. in Proverbiis.*

Pœnæ.

Apud Indos comam tonderi juſſu Regis, maximi ſupplicii loco habebatur. *Stobæus ſer.*423.

B Quidam Januenſes habitantes Peræ (ea fuit Januenſium civitas oppoſita Conſtantinopoli) cum negotiandi cauſa Conſtantinopolim veniſſent, orta inter eos, ac Græcos diſcordia, partim ex eis interfecti, partim vulnerati ſunt. Imperator barbam Græcis homicidis in pœnam ſceleris radi juſſit, quæ mulcta apud eos ignominioſa habetur. Prætor Januenſium, qui erat Peræ, ſe deluſum putans, conſanguineis Januenſium permiſit, ut ipſimet ſuas injurias ulciſcerentur. Ergo Conſtantinopolim ingreſſi, nonnullos Græcos occiderunt, ac vulneraverunt. Ingens querela ſtatim ad prætorem Peræ ab Imperatore defertur, pœnam maleficii poſtulante. Ille ſe puniturum maleficos liberè aſſerens, die ad pœnam præſtituta, captos homicidas, reliquoſque in publicum produci juſſit, tanquam illos capite mulctaturus. Convenerant ad famam rei, tum Græci permulti, tum populus univerſus Peræ expectantes pœnam. Tum prætor ſilentio per præconem facto, omnibus maleficii reis nates radi fecit: aſſerens Januenſes barbam non in facie, ſed circa nates ferre. *Poggius in Facetiis.*

Quæſtus.

Erat apud Mauſolum Cariæ Regem Condalus, cujus poſt Regem facilè erat primus dignitatis gradus, Hyparchum Græ- C ci vocant, atque (ut videtur) Lyciæ præerat. Cùm operæ pretium arbitraretur, quàm plurimum poſſet pecuniarum ad Regem mittere, aut etiam ſibi congerere, lepido commento Lycios circumſcripſit. Siquidem intuitus illos ἀγαπῶντας τὸ τρίχωμα φέρει, hoc eſt, comam gratis, impendioque enutrire: finxit ſibi à Mauſolo allatas eſſe literas, quibus injungeretur, ut capillos mitteret εἰς προσκόμια (ea videtur fuiſſe celebritas quædam deponendæ comæ) quo nomine oporteret illos attonderi. Quòd ſi præſtitutam pecuniarum ſummam exſolvere in animum inducerent, miſſurum ſe, qui ex Græcia capillitium affatim afferrent. Id cùm Lycii amplius perpendiſſent, & comæ delicias in magno reponerent, gratiſſimè conditionem admiſere. Atque ex faceto mox commento magna vis pecuniarum eſt congeſta. *Cælius lib.29. c.20. A.L. ex Ariſtotele.*

PILORUM USTIO.

Commodus Imp. & Alexander Phereus tyrannus pari D metu, nullum tonſorem admiſerunt. *Alexand. ab Alex. lib.5. cap.18.*

Dionysius Syracuſiorum tyrannus, cùm nulli tonſori crederet, neque etiam filiabus propriis, ipſe ſibi candentibus juglandium putaminibus barbam adurebat.

Augustum Cæſarem ſolitum ferunt crura nuce ardenti ſuburere, quò mollior pilus ſurgeret. *Sueton.*

PILORUM VULSIO.

Julia Cæſaris Auguſti filia cùm maturè canos habere capillos cœpiſſet, habebat complices, quæ canos capillos ſublegebant. Verùm cùm Auguſtus pater interveniſſet, clam, canos capillos ſuper veſtes filiæ vidit, quos evulſerant. Cùm autem aliud agens, rem diſſimulaſſet, demùm poſt multa interrogavit filiam, Utrum poſt aliquot annos cana eſſe mallet, an calva? Cùmque illa reſpondiſſet, ſe canam eſſe malle: Cur ergo, inquit, tuo juſſu, & inſtructu iſtæ ante tempus calvam te facere ſtudent? *Sueton.*

Japonum gens calvitium, non ſine magno dolore, lachrymiſque pilos evellens, procurat. *Jo. Metellus.*

Braſilienſes ſunt colore ſubnigro, capillum habent mollem, nigrum, atque promiſſum. Sunt omnes imberbes, propterea E quòd volſellis omnes corporis pilos evellunt. *Oſorius lib.2. Rerum Emmanuelis.*

Javæ majoris, quæ Inſula eſt Indiæ, Incolæ. *teſte Oſorio l. 8. Rerum Emmanuelis*, barbas evellunt, interiorem capitis partem radunt, reliquam ſtudioſè criſpant.

PILORUM CULTUS,

Qui coluerint.

Flamen Dialis apud Rom. niſi liber homo eſſet, capillum non tondebat. Unguium, & capillorum ſegmina ſubter arborem ſiliquam terra operiebantur. *Gell. lib.*10. *c.*15.

Nazaræi apud Judæos ex voto comam alebant *Num.6.*

Moris olim fuit in Creta, ut barbam, & capillos magiſtratus ſumitterent. Proindè, cùm ab Appio proconſule, cum quo in Cretam Sabinus iverat, in theatro Græci poſtulare inſtituiſſent, ut Sabinus maximum magiſtratum gereret: ſurrexit Sabinus, & ſilentio manu facto: Hunc Magiſtratum, inquit, ego Romæ bis geſſiſſe. Bis enim reus cauſam dixerat. Græci non bene intellexerunt: ſed benè interpretari petebant, ut illum honorem Sabinus tertiò gereret. F *Cæl. lib.*14. *cap. ult.*

Apud Lacedæmonios ingenui alebant comam: namque omnes comati erant, cùm ſervos crines habere non deceret.

Idem in omni ferè Græcia, ubi ſervis nutrire comam nefas erat. Adagium refertur à Suida, extat apud *Ariſtophanem in Avibus.*

Ἔπειτα δῆτα δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις id eſt,
ac deinde ſervus cùm ſis, portas comam?

Hadrianus Imp. primus ex Cæſaribus promiſſa barba inceſſit, & capillo *Alex. ab Alex. l.5. c.18. ex Dione.*

Qua parte.

Procotta vocatur, ubi interiores nutriuntur comæ, quia Cottis apud Dores dicitur caput. Quamvis alii ante frontem capillos dici Procottam putent. *Cæl. l.7. c.23.*

Thraces quoſdam appellant Acrocmas, qui antias in frontem muliebriter demitterent. Eubolicos opiſthocomas Pollux vocat, qui comam per terga fuſam alerent, qualis ferè Hectorea dicitur coma, ut auctor Timæus eſt. Nec Lycophron prætermiſit, ubi Caſſandram inducit ſic nuncupare comam: velut incederet eo modo Hector. G *Cæl. l. c.23.*

Quomodo.

Pectendo, Purgando.

Indi capillum pectunt ſæpiùs, quàm tondent; barba ſemper intonſa. *Alex. lib.5. cap.18.*

Colunt Ægyptum verſus Pœnorum primi Adyrmachidæ, qui eiſdem ferè, quibus Ægyptii, moribus utuntur. Uxores eorum capitis comam alunt, quarum quæque ſuos (quos capit) pedunculos præmordet, & abiicit. *Herod. l.4.*

Lacedæmonii tempore pugnæ comam pectere, & diſcriminare ſolebant, quòd illa formoſis ſplendorem quendam divinum, deformibus horrorem conciliaret, ex Lycurgi ſententia. *Plut. in Lycurgo.*

Semiramis regina Aſſyriorum dum capillos diſcriminat, nuntio accepto de defectione ſubditorum, præproperè collecto exercitu non priùs comam colligere voluit, quàm defectores ſubegiſſet.

Componendo.

Mauris, & Britannis in more fuit, cincinnis ornari ruti- H lis comis: & tam compoſito capillo, ut inceſſu vix ſe contingi paterentur, omnis corporis parte abraſa, præter caput, & labrum, *Alex. lib.5. c.8.*

Julius Pollux in tonſuræ generibus: Corymbe (inquit) Atticum non eſt, ſed crobylus potius. Crobylum interpretantur aureum corymbum è capillis propendentem. Sunt qui putent capillorum contextum tendentem in acutum. Meminit Xenephon, nec omiſit Thucydides. Ab nonnullis hæc profertur diſtinctio, ut in viris dicatur crobylus, in feminis corymbus, in pueris ſcorpius. *Cælius lib.*28. *cap.*5. A.L. *Thucydidis interpres inquit* κρώβυλος ἐστὶ εἶδος πλέγματος τῶν τριχῶν, ἀπὸ ἑκατέρων εἰς ὀξὺ ἀπολῆγον, ἐκαλεῖτο δὲ τῶν μὲν ἀνδρῶν κρώβυλος. τῶν δὲ γυναικῶν, κόρυμβος. τῶν δὲ παίδων, σκορπίος. *Lucianus in votis:* καὶ τοῖς προγόνοις ἡμῶν ἐδόκει καλὸν εἶναι κομᾶν τοὺς γέροντας, ἀναδουμένους κρώβυλον ὑπὸ τέττιγι χρυσῷ ἀνειλημμένον. *Brodeus in 6. Epigr.*

Æthiopes tortos habent crines, Orientales quidem planiores, Africani verò criſpiſſimos.

Sicambri Germaniæ populi, ad utramque Rheni ripam A habitantes, flavos habent capillos, quos ubi ſatis creverunt, quodam artificio in nodum complicant. *Martialis. lib.* 1.

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

Galeacius II. Vicecomes, comam aurei coloris promittere, complicatamque ſæpè in tricas, & nonnunquam diffluentibus cincinnis per humeros expanſam, reticulato pileolo, aut florea corona caſtigare ſolebat. *Jovius in vita ejus.*

σφηνοπώγωνες Græcis dicuntur, qui barbam in duas partes, ceu cuneos diviſam habent. Quam perſonam Comœdiis uſitatam fuiſſe ſcribit Lucianus. An potius, qui barbam habent acuminatam, non latam, inſtar cunei? *ein geiſzbart.*

Augustus Cæſar ob cladem Varianam comam aluit. *Sab. l.6. Ennead. ex Suetonio.*

☞ *Vide Loca de Barba. Abraſione. Capillis Religioſis.*

---

* Pileus.

*Definitio, et Etymologia. Atque Illius Usus.

B Pileus eſt tegumentum capitis, quod πῖλον Græci vocant. Eſtque nomen generale ad galerum, qui pileus eſt rotundus; & quemvis alium. Dicitur autem pileus, ſive pileum, vel quod ex pilis arctatis conficiatur, vel quod capitis pilos operiat. Sunt qui geminata LL. Pilleum legunt.

Romanos olim, Græcos quoque, Gallos, ac Germanos caput apertum habere conſueviſſe, ex hiſtoriis innoteſcit. Unde & Homerus nuſquam pilei, aut tegumenti meminit. Immò & ſtatuæ veteres ſine tegmine. Meminit autem Suetonius, Julium Cæſarem nullum ex omnibus honoribus libentius ſibi, aut crebrius uſurpaſſe, quàm geſtamen laureæ coronæ.

Nihilominus tempora certa, & occaſiones erant, quibus uſus, & jus caput tegendi, pileumque induendi. Tempora quinque. Sacra, Ludi, Saturnalia, Peregrinatio, Militia. Nam Romanos dum ſacrificabant, capite ſcimus fuiſſe velato, idque priſco quodam, & obvio ritu. Idem in ludis fuit. Etiam Saturnalibus, per quos liberrimæ vitæ dies pileus admiſſus, ſignum ſcilicet libertatis. *Martialis.*

C *Permittis puto pileata Roma.* Idem.
Dumque decent noſtrum pilea ſumpta Jovem.

Sed & peregrinatio quoque petaſum bono jure ſibi ſumpſit, contra pluvias, æſtus, ventos.

Plautus ubique addocet, qui peregrè euntibus, aut venientibus petaſum aptat.

Cicero item alibi in epiſtolis, deſcribens tabellarios iturientes, petaſatos eos venire, ait, & comites exſpectare ad portam.

Nec alius mentis illud Suetonii de Auguſto: Solis, ne Hyberni quidem patiens, domi quoque non niſi petaſatus ſub divo ſpatiabatur. Ait, domi quoque, quaſi novum illud & inſolens innuens quod alibi quam per viam.

Denique Militiæ pileos non adimo, inhibitus à Vegetio: uſque ad præſentem, inquit, ætatem conſuetudo permanſit, ut omnes milites pileis, quos Pannonicos vocant, ex pellibus uterentur. Nam aliàs, exempla etiam in militibus pileorum rara. Jam homines etiam certis, ut dixi, quorum vertex immunis à communi more. Primùm liberti, quos in pileis fuiſſe, nova libertate, notius & teſtatius eſt, quàm ut hic dicam.

D Moris erat apud Romanos, ut ſervi, qui per manumiſſionem liberi fierent, caput raderent, & calvi pileum capite acciperent.

Ad hanc conſuetudinem alludit Soſia ſervus *apud Plautum in Amphib.*

—— quod ille, inquit, faciat Juppiter,
Ut ego hodie raſo capite calvus capiam pileum

Hoc eſt, ut fiam liber. Nonius hunc Plauti locum citans, Qui liberi fiebant, inquit, ea cauſa calvi erant, quòd tempeſtatē ſervitutis videbantur effugere, ut naufragio liberati ſolent.

Baptista Pius, cur raderent ſervi manumiſſi caput, hanc rationem reddit *in ſuis comment. in Amphit.* Scio, inquit, ea obſervari, ut capileum reddat, quoniam ſcilicet omnis umbra ſervitutis capiti tanquam primario membro, & arce acropolique hominis excutiebatur, renovabaturque ſervus, qui ad libertatem ſpectabat: & quod non undique fieri poterat in omnibus corporis partibus, per digniorem, honorificentioremque, & ſacratiorem locum perficiebatur.

Eos, qui tempeſtatem effugerent maritimam, pileum ſumere caputque radere ſolitos fuiſſe teſtatur *Juvenalis:*

—— gaudent tibi vertice raſo E
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.

Narrat *Appianus Alexand. lib.2. belli. civil.* quod interfectores Cæſaris nonnulla in Senatu dicere conati, auſcultante nemine, veluti clypeorum in morem ſiniſtri adnectentes, pugioneſque cruore illitos palam deferentes, Regem ſe, ac tyrannum cæcidiſſe clamitabant. Ex his quidem pileum proferebat in haſta, libertatis ſignum, univerſoſque ad libertatem patriam vocabat.

Lamb. teſtatur, ſe vidiſſe in veteribus nummis Clementis Tevenini expreſſam Bruti effigiem pileatam cum pugiunculis, quod ſignificat Brutum liberaſſe populum Rom. tyranno interfecto.

Eandem ob cauſam Caſtor, & Pollux, qui σωτῆρες, id eſt, liberatores Græciæ, & ſervatores vocabantur, pileati fingebantur, quia pileus ſit inſigne libertatis, quanquam alii hanc ejus cauſam efferunt, quod eſſent Lacones: Lacedæmonii autem pileati pugnarent. Sic enim Feſtus, Pilea Caſtori, & Polluci dederunt antiqui, quia Lacones fuerunt, quibus pileatis pugnare mos eſt. Romani contra, *teſte Lazio*, pilei in bellis F haud quaquam utebantur.

Lares quoque pileatos fingi, in nummo quodam argenteo Clementis Tevenini ſe vidiſſe teſtatur *Lambinus in Comm. in Plautum.*

Exempla nummorum, in quibus pileum eſt cum inſcriptione Libertatis, *Vide apud Pierium in Hieroglyph. lib.*40.

Addo ægros, quibus etiam licuit pileis uti, capiti firmando, *Ovidius* indicat, qui amanti ſuo præit ad morbum & pallorem fingendum, & pilleolum tribuit inter ſigna.

Arguat & macies animum, nec turpe putaris
Pileolum nitidis impoſuiſſe comis.

Artemidorus etiam qui de ſomniis ſcripſiſſet non ſomniculosè.

Sed & ſenibus pileum tribuerunt, à pari cauſa.

Varronis fragmentum adſignificat, *è l. de vita Pop. Romani:* Minores natu, inquit, capite aperto erant, capillo pexo, utique innexis crinibus.

Et *Nicephorus Gregoras* oſtendit eum morem cum Romano Imperio Byzantium etiam translatum, *l.*10. *in extremo.* G

Cujus Rei symbolum.

Manumiſſionis, & Libertatis ſymbolum detuliſſe olim pileum conſtat è proximè dictis. Porrò pileum & nobilitatis ſymbolum, etiam olim apud Græcos extitiſſe (unde Ulyſſis caput pileatum faciunt) & hodie apud Turcas eſſe conſtat.

Fuit etiam Sacerdotii apud Romanos ſymbolum, unde Flamines volunt dictos quaſi pileamines: tametſi nonnulli arbitrentur à flammeo, quod & ipſum capitis eſt tegumentum, appellatos, de quo plura ſcribit *Gellius.*

De Hippocratis imagine pileata, & pilei antiqui forma, atque materia eundem conſule.

Lazius quoque de variis pileorum generibus multa habet *in ſuis Commentariis Reip. l.8. c.*14. Hæc de pileo, quo quidem tecti, ſervi manumiſſi epulari conſueverunt. Unde videntur colligi poſſe, Romanos in conviviis capite tecto, atque velato, non autem aperto diſcubuiſſe.

Huc quoque referendum, quòd omnibus Diis, excepto Saturno, & Honore, capite velato ſacrificare fuerunt ſoliti. Un- H de Curculio paraſitus *apud Plautum in Curcul.*

Quis eſt hic qui aperto capite Æſculapium ſalutat?

Et *Virgil.* Helenam Æneæ ſic dicentem inducit,

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omnia turbet.
Hunc ſocii morem Sacrorum hunc ipſe teneto.
Hac caſti maneant in relligione Nepotes.

Ob hanc nimirum cauſam, ut inter ſacra ſenſus ab omni obtutu ſecuri; ſoli divinæ rei vacarent homines.

Pincerna.

*Definitio, et Etymologia.

Pincerna dicitur ἀπὸ τοῦ κιρνᾶν τὸ πίνειν, id eſt, à miſcendo, vel infundendo vino, unde & à cyathis vocantur,

ſive ad cyathos, quod idem eſt quòd pocillator, qua phraſi vo- A camus Amanuenſes ſervos ad manum. Pincerna Jovis apud Poetas eſt Ganymedes. Unde *Auſonius*.

Stat Jovis ad cyathum, generat quem Dardanius Tros.

Horat. lib. 1. carm. ad Julium.

Puer quis ex aula capillis
Ad cyatum ſtatuetur unctis.

Qui Cibum, potumve offerunt. Pincernæ, Prægustatores.

☞ *Hìc, quod offerunt, conſideramus, & eatenus in hominem agunt. Quatenus verò guſtant, Prægustatores appellantur, & ad operas pro homine obitas referuntur.*

Hehemias Helchiæ F. Xerxis Regis prægustator, ab eo veniam impetravit inſtaurandi templi Hieroſolymitani, & Judæos, qui vellent, reducendi 2. *Eſd.* 1. & 2.

Cyathus puer ineptus pocillator. ☞ *Vide Tit. Crudelitatis Dominorum erga ſervos.*

Ganymedem Poetæ faciunt Jovis prægustatorem, ex Ida monte miniſterio aquilæ raptum. Hinc apud Homerum, Trojanis propter Ganymedem à Jove raptum hoc officii dat B Agamemnon, contumeliæ cauſa, ut pocillatores ſint, & Græcorum ſingulis decadibus ſingulis miniſtrent. ☞ *Vide Tit. Cenſus populi actus.*

Regum Medorum Pincernæ, cùm phialam porrigunt, vinum ex ea cyatho hauſtum, inque manum ſiniſtram fuſum abſorbent, ne ſine detrimento proprio venena infundant. *Xenophon de inſtit. Cyri lib.* 1.

Filius Prexaſpis Perſarum ſatrapę (qui Smerdem juſſu Cambyſis Regis interfecerat) pocillator Cambyſis fuit, & ab eodē ſagitta peremptus. ☞ *Vide Tit. Reprehenſiones ægrè ferre.*

Sacas pincerna Aſtyagis Medorum Regis, & ejuſdem à cubiculis. Quem Cyrus puer, eò quòd ab ingreſſu cubiculi eum arceret, ſolùm ex omnibus miniſtris indonatum abire permiſit, quamvis Aſtyagi propter formam cariſſimus eſſet. *Xenophon. l. 1. Pædiæ.*

Potum miniſtrabant nobiliſſimi pueri apud antiquos, ſicut ex hoc verſu apparet.

Filius eximii Menelai vina miniſtrat.

Ac Euripides Poeta cùm eſſet puer, vinum miniſtrabat C Athenis ſaltatoribus circa Apollinis Delii templum. Sappho fratrem Larichum ubique laudat, velut Mitylenæis in Prytaneo vinum miniſtrantem. Apud Romanos etiam miniſterio hujuſmodi pueri nobiliſſimi fungebatur in publicis populi ſacrificiis. *Athenæus lib.* 10. *c.* 7.

De Clina Ptolemæi Regis, cognomento Philadelphi, pincerna, mentionem fecit *Ptolemæus* Ageſarchi filius *l.* 3. *Hiſtoriarum ad Philopatrem:* multaſque ſtatuas erectas fuiſſe narrat in Alexandria in multis partibus civitatis, ſolam veſtem habentes, rhytumque tenentes in manibus. *Athen. lib.* 10. *cap.* 7

Fuit Diadumenus pincerna Auguſti. Secundus, Nicomedis Regis Bithyniæ.

Patroclus, Neronis. Hunc ex præcipitio mortuū, D. Paulus Romæ vitæ reſtituit. Ille in Chriſtum Regem ſe credere coram Nerone profeſſus, quem Paulus prædicaret, occaſionem dedit Neroni in Chriſtianos omnes animadvertendi, quòd alium Regem colerent quàm Neronem. Itaque Paulus quoque interfectus eſt, & Petrus, Eccleſiæ lumina. *Petrus de Natalibus auctor eſt, & alii Martyrologi.*

D Haraldus Goduini Comitis F. Eduardi III. Anglorum Regis pocillator. ☞ *Vide Tit. Perjurorum.*

Maslaus pocillator tyrannidem inter Polonos affectat. ☞ *Vide Tit. Tyrannidis affectatæ pœna.*

Voidilo pocillator Jagellonis Ducis Lituaniæ ex piſtore. ☞ *Vide Tit. Regnandi libido ambitioſa.*

Pinguis. Obeſus.

Definitio, et Etymologia.

Pinguem propriè vocamus, qui eſt corpore obeſo, quamvis non ſemper multùm edendo [unde Obeſus dicitur] pinguedo acquiratur, cùm experientia conſtet macilentiores famelicos, & cibi magis appetentes; ſed frequenter ex nobiliori temperamento, vel ſanguinis præſtantioris abundantia proveniat. Græcis pinguis λιπαρὸς, πίων, πιμελὴς dicitur, quamvis accuratiùs tria hæc diſtinguant, ut τὸ πίων ſic, in quo plus ſolidi ſit quàm humidi: ut in ſuibus, piſcibus: λιπαρὸν, in quo humidum prævalet, ut in oleo: At τὸ στεατῶδες, ſolidum prorſus, ut ſevum. Propriè de animalibus dicitur. Id enim eſt pingue quod πίων τὰ γυῖα, id eſt, obeſis eſt membris. Dicitur autem E pinguis πίων, γήϊος, πίων quidem à πίω poto, γήϊω terrenus, à γῆ, ut ſignificetur is lentor, qui quidem humor eſt, ſed cum aliqua terrea ſoliditate. Per translationem variis rebus convenit, ut puta omne lentum, unctuoſum, viſcoſum pingue dicimus. Sic & agros, fruges, & pleraque alia exempla apud probatos auctores ſunt obvia.

PINGUES, OBESI.

Eglo Rex Moabitarum obeſus, *Judicum.* 3.

Crates Thebanus conſpicatus Adoleſcentem athleticum, vino, carne, & exercitatione corpulentiorem fieri: O miſer, inquit, deſine adverſus temetipſum carcerem munire. *Maximus monachus ſerm.* 27.

Heraclides Ponticus Poeta propter obeſitatem tardè incedens, Pompicus cognominabatur.

Pythagoras videns quendam è diſcipulis attentiorem curando corpori, idque agere, ut obeſus eſſet, ac nitida cute: Hinc, inquit, non deſinit ſibi carcerem moleſtiorem ſtruere. Senſit, hominem eſſe animum, corpori ſeu carceri incluſum: quod quò reddas habitius, hoc magis gravatur F animi vis. *Eraſm. lib.* 8. *Apophth.*

Gordii Regem creare ſolebant eum, qui eſſet inter ipſos quàm maxime corpulentus. *Eraſm. in Adagiis.*

Leo Byzantius, auditor Platonis, & ſophiſta nobilis, cùm præpinguis eſſet, procedens in concionem, ab omnibus deriſus eſt. Ad quos converſus: Quid ridetis, ait, Athenienſes, quòd vobis videar pinguis? Scitote mihi uxorem longè pinguiſſimam eſſe: taleſque, ac tantos, cùm ſimus concordes, brevis admodum lectulus capit: diſcordes ne tota quidem domus, *Philoſtrat.* Cæterùm *Athen. l.* 12. *c.* 28. hoc Pythoni Byzantino oratori tribuit.

Polyeuctus Sphettius, cùm longam haberet orationē de ſuſcipiendo in Philippum bello, atque præ pinguitudine, præque æſtu ſæpius aquam biberet, urbanè Phocion: Dignam, inquit, rem viri Athenienſes, ut huic de gerendo bello credatur. Quantum enim illum in medio marte ſua galea & thorace facturum exiſtimatis, quem ipſe loquendi labor in animæ exhalandæ diſcrimen impulerit? *Plut. in Phocione.*

Nymphis Heracleotes libro Heracleæ ſecundo, Dionyſius, inquit, filius Clearchi ejus, qui primus in Heraclea patrię G fuit tyrannus, ob multas delicias, quotidianamque voracitatem, juſto corpulentior evaſit, ita ut ob craſſitudinem, reſpirandi difficultate, ſuffocationeque premeretur. Quamobrem ſtatuerunt medici, ut acus pertenues, ac longæ valdè pararentur, quibus latera, ventremque pungerent, ubi in profundiorem ſomnum incidiſſet. Donec igitur per adipem pinguem adigerentur, nihil ſentiebat: aſt ubi ad carnem vivam acus tangens accederet, tum expergiſcebatur. Reſponſa dabat jus poſcentibus, arcam corpori opponens, ita ut reliquæ corporis partes abſconderentur, ſola facie exſerta. Mortuus eſt, cùm annos quinquaginta, & quinque vixiſſet, quorum triginta, & tres imperavit, omnibus Regibus, qui eum anteceſſerunt, & facilitate, & humanitate præſtantior. *Athen. lib.* 12. *c.* 26. & *Ælianus lib.* 9. *de var. hiſt.*

Epaminondas Thebanorum Dux, dicere ſolebat: Militum corpus exercitatum eſſe oportere non ſolùm athleticè, verùm etiam militariter. Unde cùm obeſum Militem vidiſſet in ſuo exercitu, expulit è caſtris, dicens: Quòd vix clypei tres, H quatuorve tegerent ipſius ventrem, per quem nunquam vidiſſet ſua pudenda. *Plut. in Græc. Apoph.*

Anaximenes Rhetor obeſo aquaticulo erat onuſtus. Hunc adiens Diogenes, ita loquutus eſt: Impartire & nobis tenuibus ventrem: nam & ipſe levaberis onere, & nobis commodabis, *Laer. lib.* 9.

Ptolemæus, qui ſeptimus regnavit in Ægypto, Evergetes dictus, valde obeſus fuit: veſte talari manicas ad palmas uſque habente obeſitatem tegebat: neque unquam pedeſtris inceſſit, niſi quando Scipioni Africano legato obviam proceſſit. Craſſus etiam evaſit filius ejus Alexander, qui matrem ſuam unà imperantem interfecit, multis in deliciis vivens, ut neque ambulare poſſet, niſi duobus fulcitus incederet, *Athenæus lib.* 12. *cap.* 27.

Agatharchides lib. rer. Europicar. 16. Magā ſcribit Cyrenes Regem per annos quinquaginta bellum nō ſenſiſſe, ac deliciis deditum obeſum eſſe factum, ac ita præter modum juxta extremum ætatis, ut ob corporis deſidiam ipſa craſſitudine ſit ſuffocatus, tum propter nutrimenti copiam. *Athen. lib.* 12. *c.* 27.

Præ-

Præpinguem quendam obterens M. Cato: Qui tale cor- A pus, inquit, utile ſit reip. in quo, quod inter gulam, & inguina intereſt ſpatii, omne occupat venter? *Plut. in Catone.*

Ludovicus Craſſus, Gallorum rex, ex vaſta corporis mole ſumpſit cognomentum.

Sanctius I. Hiſpanorum rex, ab habitu corporis cognomento Craſſus, tantam ſaginæ molem habuit, ut ferre vix poſſet, & ad eam levandam nihil intentatum relinqueret. Cordubam profectus ad Abdemari regiam, qui Saracenis imperabat, inter experimenta Medicorum, quorum magna turba apud Abdemarum erat, herbæ cujuſdam vi ad maciem deductus eſt. *Ritius lib.* 2. *Regum Hiſpaniæ.*

Gulielmus Conquæſtor Angliæ rex obeſus. *Polyd. lib.* 9.

Nicomacho Smyrnæo corpus ad tantam increvit molem, ut loco moveri non poſſet. Ab Æſculapio tandem curatus. *Cælius lib.* 11. *cap.* 13. *A. L. ex Galeno*, qui ſe quendam vidiſſe ſcribit, cujus lingua citrà ullum omninò doloris ſenſum extra modum excreverit.

Quidam Hiſtrio ob nimiam pinguedinem, teſte Alberto B Crantzio, eò quòd quotidie decem hominum cibos devorare ſoleret, ne utilium laboratorum eſcas quaſi publicus depopulator conſumeret, juſſu Danorum regis eſt ſuſpenſus. *Olaus lib.* 15. *cap.* 15.

Nobilis quidam civis regiæ civitatis Holmenſis in Svetia, è Diethmarſia oriundus, Claus Boya, anno MDXX. cùm juſſu regis Daniæ Chriſtierni II. in carcerem miſſus ob nimiam pinguedinem per carceris oſtium intrudi non poſſet, indignatione ſatellitum, ad aliorum torturam feſtinantium, ſeorſum ad angulum eſt ejectus, & ita ſervatus. *Olaus lib.* 15. *cap.* 14.

Leo X. Pontifex, ita abdominoſus evaſit, ut etiamnum hodie Romæ ejus craſſities locum habeat, in obeſos adagia torqueri ſolita. *Garimbertus lib.* 6. *de vitis Pontificum.*

OBESI NATURA, SINCERI, HILARES, &c.

C. Cæſar in corona familiarium liberius jocabatur, acceſſit quidam hilari vultu, ſed præpingui, & procero corpore. Monuit Imperatorem quidam, ſubmiſſius loqueretur propter adſtantem. Tum arridens leviter Cæſar: Tales ait, viros caven- C dos non eſſe: ſed macilentos, vultu marcidos & triſtes: ac digito Brutum oſtendit, & Caſſium.

Pœnæ Obeſitatis. ☞ *Vide, Pœna, Punitio.*

---

* Piratæ.

Dicti ἀπὸ τ̃ πειρᾶν à pervagando, ſunt prædones maris. De his. ☞ *Vide Locum de Inimicitia, & Inimicis. Tit. Pirata.*

Piratica ipſum Piratarum exercitium dicitur Ciceroni. Quære. ☞ *Locum de Avaritia. Tit. acquirere, exigere avarè. §. Latrocinio, Piratica, &c. Piratarum pœna. Vide Infra in Loco de Pœna, Punitione. Tit. Piratarum.*

Piſcis.

Definitio, et Productio.

Piſcis eſt animal in aquis, & ſub aquis degens, & propriè pro eo uſurpatur, quod ſquammis tegitur, ut ex Plinio D conſtat *l.* 9. *c.* 12. Græcis ἰχθὺς. Omnia autem in aquis degentia aquatilia nuncupantur, & diſtinguuntur à terreſtribus animalibus. Sunt autem tegmina aquatilium varia. Alia enim corio, & pilis operiuntur, ut vituli, hippotami: alia corio tantum, ut Delphini: cortice, ut teſtudines: ſilicum duritie, ut conchæ, oſtrea. Cruſtis, ut locuſtæ: Spinis, ut Echini: Squammis, ut piſces. Quamvis Piſcium nomen aliquando ſit generale pro quovis aquatili.

Sunt autem Piſces producti à Deo, quinto die Creationis rerum, idque ex aquis tanquam materia convenienti naturæ illorum, & temperamento, additis tamen aliorum elementorum formis, & qualitatibus. Ita S. Ambroſ. in hymno Eccleſiaſtico.

Magnæ Deus potentiæ,
Qui ex aquis ortum genus
Partim remittis gurgiti,
Partim levas in aera.

& colligitur *Geneſ.* 1. ubi dicitur Deus juſſiſſe, Producant aquę reptile animæ viventis, ita etiam LXX. verterunt τὰ ἑρπετὰ, id eſt reptilia, quo nomine Piſces appellantur, quod ad ſimilitudinem reptilium terreſtrium moveantur in aqua. Videatur *Hugo in lib. annotat. in Geneſ. cap.* 7.

* NATURA.

E Sunt Piſces ex origine ſua imperfectiora animalia terreſtribus, & volatilibus. Sunt namque temperamenti imperfectioris, cujus rei indicium eſt modicum alimentum, quod pręſtant, quò fit ut tempore Jejunii, & Quadrageſimæ permittatur eorum uſus: cùm enim minus nutriant, minus validum præſtant alimentum: adeòque cùm jejunantes multum cibum accipere ſoleant, minus nocet copia piſcium, quàm carnium. Et quoniā Jejunium corporale alterius Jejunii, quo fit à vitiis, & concupiſcentiis nos monet, atque hæc minus in nobis dominentur, ſi carnis ſtimuli comprimâtur, fit, ut piſcium eſus tunc ab Eccleſia præcipiatur, quod illi humidiores natura, neque ita validi ſucci, magis eam refrænent, dum ſemini rariorem ſanguinē alimentarem ſubminiſtrant. Juxta id quod Galenus dicit *lib. de aliment. facultat. c.* 27. Piſces generare ſanguinē mediū, qui neque admodū tenuis, neque aquoſus, neque vehementer craſſus eſt. 2. In Piſcibus eſt obſcurior digeſtio membrorum, & corporis. 3. Habent ſenſus omnes hebetiores, ac magis imbecilles, cùm degant in aqua, quæ craſſior, & minus pura, quàm aer.

Quod enim aliqui exiſtiment eos non odorari, nec memoriam habere, frivolum eſſe demonſtratur. *In locis de Odore, & Memoria.* Hoc tamen piſcibus proprium; habere oculos im- F motos, & pupillam duriorem pro bona parte, cujus rationem Ariſtoteles *in Problemat.* reddit, quòd degant in elemento, quod eſt obnoxium offenſionibus.

Deinde piſces rarò ab homine cicurantur, aut docentur, nec humanæ ſocietatis ſunt capaces, excepto Delphino, de quo *loco particulari multa ex Plut. & aliis.* Item in loco *de Animali.*

Philo reddit rationem, cur Deus in opere creationis à piſcibus inchoaverit animalium productionem, atque hanc dicit, quod ordinem oſtenderit, quem in poſterum natura obſervaret: ut ab imperfectioribus ad perfectiora ſeorſim deveniretur. Aquatilibus autem imperfectiſſima anima obvenit, ſic ut à nonnullis non animalia vocentur, & Philo illis animam dumtaxat inſtar ſalis, ne corrumpant, inditam contendit, quod fortaſſis locum habere poſſet in illis generibus, quæ marinis affixa ſcopulis ſedem ſtabilem ſervant.

Etiam piſcium generatio imperfectiſſima habetur: ut qui plerumque ſint ovipari, non animal, ſed ovum parientes. De G qua re ſtatim. Verùm hoc præſtant prę aliis animalibus piſces, quod non ita morbis ſint obnoxii, ut pleraque terreſtria, juxta *Ariſtotelem lib.* 8. *hiſt. anim. c.* 19.

* PISCIUM GENERA DIFFERENTIA.

Piſces ſunt in triplici differentia, Lacuſtres, Fluviatiles, Marini. Lacuſtres cum limoſis, inertibuſque aquis victitant, & excrementis abundant, ſuntq; reliquis inſalubriores, ut anguillę.

Fluviatiles qui aqua dulciori nutriuntur, & in ea degunt, prioribus ſalubriores, longè tamen illos ſuperant marini, ut Xenocrates bene dixit: Fluviatiles, & qui in ſtagnis degunt, ſtomacho ſunt noxii, craſſiores ſuccos faciunt, difficulter excernuntur. Simeon Sethi tamen hanc adhibet cautelam, ut dicat. Piſces, qui in limpidis fluminibus, & puris paſcuntur, boni ſucci ſunt: non ita qui in impuris & lutoſis. Marini piſces, qui aliis ſalubriores ob ſalſedinis marinæ naturam, quæ nimiam illam piſcium humiditatem, & frigiditatem temperat, ac conſumit; variorum ſunt generum, & diſcriminum. Ut quæ deſumunt ab ipſo mari, quo educantur, quod an Auſtro an Boreæ exponatur, multum intereſt ad H ſalubritatem. Salubriores Galenus ſentit illos, qui in puro mari, quod ventis agitatur, vivunt. *lib.* 3. *de facult. Aliment.* Tres autem marinorum Piſcium ſunt differentiæ communiores: alii enim ſunt Pelagii, alii Littorales, alii Saxatiles. Πελάγιοι ſunt qui in immò maris degunt, ut Glauci, paſtivacę, aſelli.

Littorales ſive αἰγιαλῶδεις Hippocrati ἀκτῦνοι Galeno teſte, ſunt, qui in puriſſimo mari degunt, ubi littora, quæ aquam ambiunt, terra vel arena non nimis abundant, ut ſunt Mulli, Gobii, Canthari. Saxatiles vero ſive πετραῖοι qui in locis ſaxoſis, & promontoriis deliteſcunt, ac pariunt, ut Turdus, Phuca, Elephetis, & hi palmam obtinere dicuntur à Galeno ſupra.

Rurſus piſciū genus in duplici eſt differentia; quidam enim, & pro maxima parte, ſunt ovipari, alii ſunt vivipari, qui animal pariunt, ſuntque cartilaginati, & cetarii, quales ſunt delphini, & vitulus marinus. *Plinius* vero *lib.* 9. *cap.* 13. loquens de Piſcibus: Quę pilo, inquit, veſtiuntur, animal pariunt, ut piſtrix balena, vitulus. *Et cap. ſi ibid.* dicit, Torpedo octogenos fœtus habens invenitur: eaque intra ſe parit ova præmollia, in altum locum uteri transferens, atque ibi excludens.

* NUMEROSITAS.

A Piſces in majori numero eſſe quà reliqua animantium genera, colligitur ex ovium, quæ pariunt, multitudine, & varietate, Cauſam Ariſtoteles inſinuat, quod generentur ex humore, qui naturam habet habiliorem quàm terra, ad effingendum, efformandumque. Ita & Plinius hujus fœcunditatis cauſam dicit humoris luxuriam, quæ etiam facit, quod tam varia monſtra in illis reperiantur, perplexis inquit *Plinius*, & nunc fluxu, nunc flatu convolutis ſeminibus, atque principiis. Apud Davidem etiam legimus *Pſal.* 103. Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus, illic reptilia, quorum non eſt numerus.

Colligunt Hebræi ex ipſo contextu hiſtoriæ Moſaicæ, hanc Piſcibus inditam à natura numeroſitatem, cùm Deus jubendo dixiſſe ſcribatur, Producant aquæ reptile, quia verbum שרש Sacras ſignificat non quamlibet productionem, ſed uberem, & copioſam. Ita *Pererius lib.* 1. *in Geneſim.*

Facit ad hunc Piſcium numerum innumerabilem, quod ſcribit Iſidorus *l.* 12. *Etym. c* 6. aquatilium ſpecies reperiri diſtinctas CXLIV. idque ſecundùm Plinium *lib.* 9. *&* 32. quamvis ipſe Plinius LXXIV. ſpecies indicare videantur, præter in- B tectos cruſtis, quorum numerat ſpecies XXX. at loquuntur de Piſcibus ſuo dumtaxat tempore cognitis.

* MOLES, ET QUANTITAS.

Prodigioſam, & vix credibilem in piſcibus molem reperiri corporum experientia conſtat, & ex eorum navigationibus, qui mare Septentrionale, & Oceanum versùs Orientem peragrant: Quin adeò magnas balenas Theodoretus, & Baſilius viſas ſcribunt, ut in dorſo Inſulæ ſpeciem exhibere viderentur. Videat Lector, quæ annotavimus *in Loco de Animali, Tit. Quantitas.*

Plinius l. 9. *hiſt. animal. c.* 30. tradit priſtes ducenorum cubitorum: Anguillas verò in Gange, trecenorum pedũ reperiri.

Certè ubertas materiæ aqueę, & habilitas ad quamvis extenſionem, ſuadet majorem molem in piſcibus, quàm reliquo animalium genere Unde & peculiariter Deus piſcibus benedixit, dicens, Creſcite, & multiplicamini, & replete piſces maris. benedictio autem eſt Hebraicè ברח Barach, qua voce copia & affluentia deſignatur.

* PRO DIIS HABITI.

Portentoſa numinum productrix, cultrixque Ægyptus, Pi- C ſces etiam ſacros voluit, & inter Deos retulit, teſtatur Juven. *Sat.* 15.

Illic Ælures, id eſt, feles, alii cæruleos legunt, & piſces marinos monſtroſa notatione volunt deſignari.

—— hic piſcem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nulla Dianam.

& memorat *Herodotus*, Lepidotum, & Anguillam ab illis pro diis habitos: ac Strabo Oxirynchum piſcem in civitate ſibi cognomine peculiari templo coli teſtatur *lib.* 17. atque idcirco grave bellum exortum Plutarchus meminit *lib. de Iſide, & Oſiride*, quo Oynopolitæ ejuſmodi piſcem comediſſent.

Etiam Syri piſcibus abſtinebant, quòd Venus filiam ſuam Melicerto in mari lapſam per piſcẽ ſervaſſet. Vide *Arnob. lib.* 1 aliam tamen cauſam cur Syri piſces refugiant, indicat Plutarchus, quòd cum homine natos ex eadem materia, ſcilicet humida, cenſebant. Anaximander vero homines in piſcibus initio natos fabulabatur. Unde ne quis patrem, aut matrem devoraret, ab illorum eſu abſtinebant.

Alii dicunt etiam Piſces apud Syros pro Diis habitos fuiſſe. Varro teſtatur etiam in Lydia ſacros ſe piſces vidiſſe, *l.* 3. *rei ruſt.* Diodorus Siculus inſinuat certis numinibus piſces ſacros fuiſſe; dicit enim neminem impunè violaſſe ſacros Arethuſę D piſces *lib.* 4. *Bibliothecæ.* Pauſanias *in Laconicis* de oppido Augiæ; eſt, inquit, ibi ſtagnum Neptuno ſacrum, in quo templum, & Dei ſimulachrum eſt, piſces vero inde qui extrahere audet, ex homine, fama eſt, in marina monſtra verti.

Martialis refert Libyn piſcatorem, dum ſacrum, piſcem hamo traheret, repentè luminibus captum fuiſſe: cujus eſt Epigramma, *lib.* 4. *Epigram.* 23.

Bajano procul à lacu monemus
Piſcator fuge, ne nocens recedas.
Sacris piſcibus hæ natantur undæ,
Quæ norunt Dominum, manumque lambunt
Illam, qua nihil eſt in orbe majus.
Quidquid nomen habet, & ad magiſtri
Vocem quiſque ſui, venit citatus.
Hoc quondam Libys impius profundo
Dum prædam calamo tremente ducit,
Raptis luminibus, repentè cæcus
non potuit videre piſcem:
Et nunc ſacrilegos peroſus hamos
Bajanos ſedet ad lacus rogator. E
At tu dum potes, innocens recede,
Jactis ſimplicibus cibis in undas;
Et piſces venerare delicatos.

Peculiaribus etiam Diis varios piſces conſecravit antiquitas, ut Apollini Citharum, Boaca Mercurio, Veneri Aphyam, Hecatæ Mullum, vel Mœnam, *teſte Athenæo;* alioquin invaluit apud ſuperſtitioſos tunc opinio, ſi quis Mœnam vel imprudens ediſſet, ut ab inſania ſibi timeret.

Euſtathius in Homeri Iliade. Ferunt, Mœnam Dianæ, quæ & Hecatæ eſt, ſacrificari, quod Mniæ cauſa illa videtur eſſe, quemadmodum de lunaticis fertur.

Plutarchus libro de ſuperſtitione, refert, illos, qui Mœnam, aut Apuam ederint, ſibi perſuaſum habere, Deam Syriam ejus crura corrodere, corpus ulceribus opplere, jecur colliquare.

* SACRIFICIIS ADHIBITI.

Etiam ſacrificiis piſces adhibitos, licèt Plutarchus id neget; invenimus *apud Athenæum lib.* 7. *ex Agathycide*, dum ait, Bœotos ſolitos eſſe, Anguillas Copaidas raræ magnitudinis, hoſtiarum modo coronare, aſperſaſque mola ſalſa cum precibus Diis immolare. F

Idem lib. 8. memorat Sapedonem Demetrii Ducem piſces ſacrificaſſe ποσειδῶνι τροπαίῳ Neptuno averſori, quòd hoſtem ſuum Tryphonem Apamæenſem, à quo victus fuerat, cum omnibus copiis, repentinis fluctibus obruiſſet, quibus plurimi permixti erant piſces.

Idem refert *Ælianus ex Poſidonio lib.* 13. *cap.* 59. quid? nunquid ſolebant olim Piſcatores poſt felicem retium jactum, quo tempore Thynnos ſectantur, ſacrum Neptuno ex marina præda peragere, Tyrannumque illi immolare.

Theocritus verò in Berenice Leucum piſcem ait ſacrificari, ut felicem jactum faciant.

Αἴ τις ἀνὴρ αἰτεῖται ἐπαγροσύνην ἰὼ, τε καὶ ὄλβον
Ἐξ ἁλὸς ᾧ ζωή. (τὰ δὲ δίκτυα κείνῳ ἄγοτρα)
Σφάζων ἀκρόνυχος ταύτῃ θεῷ ἱερὸν ἰχθὺν,
Ὃν λεῦκον καλέουσιν, ὁ γὰρ θ' ἱερώτατος ἄλλων
Καὶ κελίνα στήσαι τὸ, καὶ ἐξερύσαι τὸ θαλάττῃ
Ἔμπλεα.

Hominum ſi quis ad capturam felicem G
Ex Mari, unde vita eſt, quod aratum eſt aliis
Huic Deæ ſi veſpri ſacrum piſcem immolet,
Quem leucum appellant, eſt autem ei omnium ſacerrimus,
Projectam in mari ſagenam extrahet plenam.

Sed ne cui Græcorum fides ſuſpecta ſit, Romæ etiam piſcibus ſacrificatum fuiſſe oſtendamus, ex *Feſto Pompejo* luculento ſcriptore. Piſcatorii, inquit, ludi vocantur, qui quotannis menſe Junio, trans Tiberim fieri ſolent à Prætore urbano, pro Piſcatoribus Tiberini, quorum quæſtus, non in Macellum pervenit, ſed ferè in Aream Vulcani, quòd id genus piſciculorum datur ei Deo pro animis humanis.

De piſcatoriis verò ludis audiamus *Ovidium lib.* 6. *Faſtorum* qui tertio Nonas Junii illos refert celebrari.

Tertia poſt Nonas, removere Lycaona Phœbæ
Fertur, & à tergo non habet Urſa metum.
Tunc ego me memini, ludos in gramine campi
Aſpicere, & dici, lubrice Tybri, tuos.
Feſta dies illic, qui lina madentia ducunt,
Quique tegunt parvis ara recurva cibis.

* AUGURIA ETIAM CAPTA. H

Auguria etiam ex piſcibus, non ſecus ac ex avibus, aut terreſtribus animantibus, deſumpta.

Plinius lib. 9. *c.* 16. Sunt & in hac parte naturæ auguria, ſunt & piſcibus præſcita. Siculo bello, ambulante in littore Auguſto; piſcis à mari ad pedes ejus exiliit: quo argumento vates ſpondere, Neptunum patrem, adoptato tum ſibi Sexto Pompejo (tanta erat navalis rei gloria) ſub pedibus Cæſaris futuros, qui maria tempore illo tenerent. *Dion. Caſſius* idem *lib.* 49. narrat, ſed caſu hoc factũ cavillabitur aliquis: non illud quod à Plinio *lib.* 13. *cap.* 1. proditur, Fons Limyræ tranſire ſolet in loca vicina, portendens aliquid: mirumque, quòd cum piſcibus tranſit; reſponſa ab his petunt incolæ cibo; quem rapiunt annuentes, ſi verò eventum negant, caudis abigunt.

Ælianus lib. 13. *c.* 70. *ac Plutarchus lib. de ſolertia animaliũ*, narrant, apud Suram Lycię vicum, Sacerdotes eſſe ἰχθυομάντεις vario piſcium motu, acceſſu, receſſuve, non ſecus ac Tireſias, aut Polidamas ex avium volatu futuros eventus prædicunt.

* USUS, ET PRETIUM.

A Quanti olim fecerint Græci, vel ex eo conſtare poteſt, quod cùm obſonii nomine, quidquid cum pane veſcimur, intelligi poſſet, uſus tamen obtinuit, ut ſolus piſcis hoc nomine gauderet.

Plutarchus lib. 4. *Sympoſ.* Quemadmodum enim, inquit, ex multis Poetis, unum qui reliquis præſtat, eximio nomine Poetæ afficimus, ita cum multa obſonia ſunt, piſcis tamen obtinuit, ut vel ſolus, vel præcipuè obſonium vocaretur, quia nobilitate reliquis omnibus multò antecellit.

Sic paſſim apud Scriptores ὀψοφάγοι dicuntur, non qui carnibus, fructibuſque libenter veſcerentur, ſed qui piſcibus gauderent. Quod fusè oſtendit *Athen. lib.* 7.

Sed exiguum hoc eſt, majus verò quod ab Æliano memorię proditum, *Variar. hiſt. lib.* 1. ἐν Ῥόδῳ, φασὶ, τὸν μὲν εἰς τοὺς ἰχθῦς ὁρῶντα, καὶ θαυμάζοντα αὐτοὺς καὶ ὄντα τῶν ἄλλων ὀψοφαγιστότατον ἀλλὰ ταύτῃ γε ὡς ἐθέλουν, ὑπὸ τῶν δημοτῶν ἐπαινεῖσθαι, τὸν γε μὴν εἰς τὰ κρέα ἀπονεύοντα ὡς φορτικὸν, καὶ γάστριν διαβάλλουσι Ῥόδιοι.

In Rhodo, ut inquiunt, qui piſces in deliciis habent, horumque ſuavitatem admirantur, & omnibus reliquis obſoniis anteponit, eum populares quaſi liberales commendant, cui ve- B ro carnium eſus magis arridet, hos agreſtes, & ventres calumniæ cauſa vocant. Viden, quanto ibi honore ἰχθυοφάγοι?

Sed nihil Romanos, qui ad inſaniam piſcium ſtudio flagrarunt, non enim lautitiarum tantùm fundum in illis reponebant, ſed familiarum indè cognomina, pudendum dictu, ab illis deſumpſere.

Columella lib. 8. *cap.* 16. Jam enim celebres erant deliciæ popinales, cùm ab mari deferrentur vivaria, quorum ſtudioſiſſimi, veluti antea devictarum gentium Numantinus, & Iſauricus, ita Sergius Orata, & Licinius Muræna, captorum piſcium lætabantur vocabulis.

M. VARRO jam pridem hoc conqueſtus fuerat *lib.* 3. *rei ruſticæ cap.* 3. Sic noſtra ætas luxuriam propagavit, leporaria, ac piſcinas protulit ad mare, & in eas pelagios greges piſcium revocavit, non propter hoc Sergius Orata, & L. Muræna! magna enim Romæ erat frequentia Ganeonum, qui profuſis ſumptibus mare penè exhauriebant.

Juvenalis hoc diſertis verbis:

Atque ita defecit noſtrum mare, dum gula ſævit
C *Retibus aſſiduis, penitus ſcrutante macello*
Proxima, nec patimur Tyrrhenum creſcere piſcem.

Hunc factum ut ἰχθυοφάγοι delicati haberentur.

Plato ut evinceret Heroum magnam fuiſſe continentiam, dicit illos piſcibus uſos non fuiſſe, quamvis prope Helleſpontum caſtra metati eſſent.

Idem innuit Eubulus Comicus.

ἰχθῦν δὲ ποῦ γ' Ὅμηρος ἐσθίοντ' εἴρηκέ γε
τινὰ τῶν Ἀχαιῶν.

Piſcem ubinam comediſſe dicit Homerus, quempiam Grecorum.

Immò quod magis mirum eſt, neque molles illos Phæaces, neque mari circumfuſos Ithacenſes, piſcibus uſos fuiſſe unquam prodidit, ſed ſolos Menelai ſocios annonæ penuria coactos, in Pharo refert piſcationi ſe dediſſe, ut famem placarent, *Odiſſea IV.*

Αἰεὶ γὰρ περὶ νῆσον ἀλώμενοι ἰχθυάασκον
Γναμπτοῖς ἀγκίστροισιν, ἔτειρε γαστέρα λιμός.

Semper enim circa inſulam ſocii errantes piſcabantur curvis hamis, domabat verò ventrem fames.

Idem de Ulyſſis ſociis refert *Odiſſea μ.*

D Cujus rei non ignarus *Horatius epiſt. ad Iccium.*

Verùm ſeu piſces, ſeu porrum, & cœpe trucillas.

Piſces ponit pro lautiſſimo obſonio, porrum, & cœpe pro plebejo, & vili.

Et Ovidius 6. *Faſtorum* priſci ſæculi frugalitatem his verſibus commendat, de Dea Carna.

Priſca Dea eſt, aliturque cibis quibus antè ſolebat.
Nec petit aſcitas luxurioſa dapes.
Piſcis adhuc illi populo, ſine fraude natabat,
Oſtreaque in conchis tuta fuere ſuis.

Quin apud veteres illos cùm Græcos tum Romanos nullum celebrius convivium, nulla ſplendidior cœna erat, in qua piſces nõ obtinerent primum locum, adeò ut ſummo jure Xenocrates illos vocaverit Σιτίων ἄθυρμα τοῖς ἐντραπέζοις, ciborum ludos apud lautiores; nec ultimis tantùm ſæculis, cùm

—— omne in præcipiti vitium ſtetit.

Sed protinus jam ab Urbe condita piſces marinos in uſu, & pretio fuiſſe auctor eſt *Caſſius Hemina apud Plinium.*

Sed libet per ſatyram ſolenniores tantum epulas, lectorum oculis ſubiicere; ut palàm fiat, ubique piſces prærogativa quadam cœnarum fundum fuiſſe. E

In nuptiis adhibitos fuiſſe inter Græcos teſtatur *Epicharmus*, nobilis Poeta, cum nuptias Hebes deſcribit. Idem facit *Antiphanes in Timone.*

Sed cui libido eſt ſcire piſcium genera à Poetis illis deſcripta, Athenæum adeat inter Latinos.

Varro in fragmento Satyræ ſexageſis.

Tum Nuptiæ videbant oſtreas Lucrinas.

Plautus in Aulularia, ubi de Euclionis filiæ nuptiis.

Dromo deſquama piſces, tu Machærio
Congrum, Murenam exdorſua, quantum potes.

Idem in Caſina, in nuptiis Olympionis & Caſinæ.

Olymp. *In re præſenti ex copia Piſcaria*
Conſulere potero quid emam: St. *æquum oras abi*
Argento parci nolo, obſonato ampliter.

Quid memorabo triumphales cœnas piſcium eſu nobilitatas? Unus C. Cæſar multorum inſtar ſit, Cui C. Hirtius ſex millia murænarum mutuo appendit, *teſte Plinio;* quantam hic aliorum piſcium copiam fuiſſe dicemus; ubi tantus Murænarum numerus fuit? F

De aditialibus cœnis quid attinet dicere? laterculum pontificiæ cœnæ Metelli id abundè *apud Macrobium lib.* 3. *cap.* 3. explicabit. Verùm L. Vitellius fratri Imperatori, maximo illi helluoni, in adventitia cœna, duo millia lectiſſimorum piſcium dedit, *teſte Suetonio;* ubi hæc lego, frugalitatem, ac paupertatem noſtrorum regum nec laudare, nec admirari deſino. Maximæ etiam olim cœnarum deliciæ erat Tripatinum. *Plinius lib.* 23. *cap.* 12. Tripatinum, inquit Feneſtella, appellabatur ſumma cœnarum lautitia, una erat Mauranarum, altera Luporum, tertia Myxonis piſcis, inclinatis jam ſcilicet moribus.

Non fruſtra olim Cenſorius Cato publicè conqueſtus fuit, ut refert *Plutarchus ex Polybio*, Non poſſe ſalvam eſſe urbem, in qua pluris piſcis, quàm bos veniret, immò frugi tunc ſæculum, ac triparcum, ſi cum poſterioribus compareтur, quo tempore pluris unum piſcem, neque magnum quidem, quam decem boves veniiſſe conſtat; teſtis eſt *Plinius*, Aſineum celerem conſularem, Mullum unum mercatum eſſe octo millibus nummum. Ducenti noſtri ſunt Philippici, immane pretium, & contra argentum expenſus piſcis.

Comici etiam Græci paſſim indignantur, piſces ἴσον ἰσῷ G vendi. *Diphilus.*

γόγγρον μὲν ὥσπερ Πρίαμος τὸν Ἕκτορα,
Ὅσον εἵλκυσεν. τοσοῦτον καταθεὶς ἐπριάμην.

At congrum quidem, veluti Priamus Hectorem, quantum pendebat, emiſſem præſenti pecunia.

Sic Alexis quæritur piſcarios regia planè vectigalia exigere, & ementium facultates decimare. *Antiphanes.*

—— ἐὰν ἴδω γὰρ ἡλίκον
ἰχθῦν ὅσου τιμῶσι πήγνυμαι σαφῶς.

Nam ſi video, quantulũ piſcẽ quanti eſtimant, obrigeſco planè.

Qua de cauſa nobiliores piſces ἀνθρωποφάγοι Antiphavi Comico dicti, quod ſcilicet impenſæ magnitudine opes Lurconum abſumerentur, ut auctor eſt *Euſtathius Odiſſea μ.* διὰ τὸ πολυδάπανον τῶν ἐξωνουμένων αὐτοὺς, propter H ingentes ſumptus, qui faciendi ſunt, ſi quis illud volet emere. Non abſimile eſt, quod in Calliodorum ſcribit *Martialis lib.* 10. *Epigram.* 31.

Exclamare libet, non eſt hoc improbe, non eſt
Piſcis, Homo eſt, hominem Calliodore voras.

* PISCIS ALIMENTUM.

ICHTYOPHAGI.

Plures nationes ſunt, quæ ſolis piſcibus ſaluberrimè ætatem gerunt, unde ἰχθυοφάγοι dicti; cùm è contra nuſpiam κρεοφάγους legimus vocatos.

Gravis auctor eſt *Strabo Geographiæ lib.* 15. prope Geodroſiam Ichtyophagorum eſſe nationem, quæ non ſolùm piſcibus pro obſonio, ac pane veſcebatur, ſed quod magis mirere, veſcuntur piſcibus, tum ipſi, tum eorum pecora, & aquas tum pluvias, tum foſſiles potant, pecorum verò carnes piſcibus præbent. Poſtremùm hoc mirum mihi viſum; plurimi enim populi piſcibus ſolis veſcuntur, ſed in carnium penuria: iſti verò Ichtyophagi carnes adeo deſpiciunt, ut piſcibus illas obiiciant.

Arrianus lib. 8. refert, Nearchum multas Ichtyophagorum nationes detexiſſe, quæ etiam farinam ex aſſis piſcibus contritis parabant, unde mox panes conficiebant, triticeo vero pane pro obſonio veſcebantur.

Et D. Hieronym. lib. 2. *adverſ. Jovinian.* Ichtyophagi, inquit,

gens errans in littore maris rubri, ſupra petram, ſolis calore ferventes aſſant piſces, & hoc ſolo alimento victitant. *Plura de his apud Diodorum Siculum lib. 4. & Philoſtratum in vita Apollonii Thyanei lib. 3.* Qui populi in veteri inſtituto vitæ ad Alexandri Magni tempora perdurarunt. Poſteà enim coacti victum mutarunt. *Plin. lib. 6. cap. 23.* Ichtyophagos omnes Alexander vetuit piſcibus vivere. Non ſatis ipſi fuit victricibus armis Orientis populos ſibi ſubiicere, niſi & mores, ac vivendi normam pro ſua libidine illis præſcriberet. Sed ne antiquis his immorer, ferunt auctores, circa promontorium Bonæ ſpei Æthiopes habitare; qui ex piſcibus ſole exſiccatis panes ſibi conficiunt, frumenti penuria. Auctor eſt *Petr. Bellonius lib. 1. obſervat.* pleroſque Aſiæ, & Græciæ populos, piſcibus frequentiſſimè veſci, ac ſaluberrimè vivere.

Quid dicemus de Carthuſianis Monachis, qui perpetuò carnibus bellum indixerunt, egregia tamen, & firma valetudine uti.

*PISCINÆ.

Summa cura olim Piſcinas inſtituerunt, quibus pretioſiſſimorum piſcium greges incluſerunt, minus tamen hac in re, Græcis laborandum fuit, quod undique circumfuſum mare affatim ſquamoſum pecus illis ſuppeditaret. Romani autem, quibus mare non ita vicinum erat, diligentius hanc partem excoluerunt.

Duplex autem erat Piſcina, dulcis, & maritima: Dulcis vetuſtior, quæ & Plebeja dicta, nullo poſteà in pretio fuit. *Varro lib. 3. rei ruſticæ cap. 3.* Quis habebat piſcinam niſi dulcem, & in ea dumtaxat ſqualos, ac Mugiles piſces; quis contra nunc Rhinton, non dici ſua nihil intereſſe, utrum iis piſcibus ſtagnum habeat plenum, an ranis.

Columella lib. 8. cap. 16. Nam & harum rerum ſtudia, majores noſtri celebraverunt, adeò ut etiam dulcibus aquis marinos clauderent piſces, atque eadem cura Mugilem, Scarumque nutrirent, qua nunc Muræna, & Lupus educantur. Sed in mendo eſt manifeſto auctor, quod Scarum dicat dulci piſcinæ incluſum à veteribus fuiſſe, nam peregrinus erat Italiæ littoribus ad Tiberii Cæſaris ætatem, quare ſubſtituo ex Varrone Squalum plebejum piſcem.

Maritimæ verò Piſcinæ, nobiles imprimis, ac in pretio erant. Sic enim *Varro:* Illæ autem maritimæ piſcinæ nobilium quibus Neptunus, ut aquam, ſic & piſces miniſtrat, magis ad oculos pertinent, quam ad veſicam, & potius marſupium Domini exinaniunt, quam implent; primùm enim ædificantur magno, ſecundò aluntur magno, tertiò implentur magno.

Qua de cauſa, idem mox talem piſcinam Amaram vocat, ob impenſæ magnitudinem; quare noſtra piſcina mediterranea, plebeja dicitur dulcis, & illa amara.

Præcipui hoc in ſtudio flagrabant L. Lucullus, Q. Hortenſius conſulares, & L. Philippus, qui non ſemel à Cicerone epiſtolis Ad Atticum, Piſcinairi vocantur, atque Tritones piſcinarum. *l. 2. ad Atticum:* Si erit nebulo iſte cum his Dynaſtis in gratia, non modò de Cynico conſulari, ſed ne de iſtis Piſcinarum Tritonibus poterit ſe jactare.

Primus vero Licinius Muræna piſcinis nobilitatem dedit. *Plin. lib. 9. cap. 54.* eadem ętate prior Licinius Murena reliquorum piſcium vivaria invenit, cujus deindè exemplum nobilitas ſequuta eſt, Philippi, & Hortenſii.

Sed ſupra omnes Luculli inſanum ſtudium eminuit. *Varro.* Ad Neapolim L. Lucullus cum perfodiſſet montem, ac maritima flumina immiſiſſet in piſcinas, quæ reciprocæ fluerent, ipſe Neptuno non cederet de piſcatu, factum eſt enim, ut amatos ſuos piſces videatur propter æſtus eduxiſſe in loca frigidiora, ut Apuli ſolent pecuarii facere, quod propter calores in montes Sabinos pecus ducunt, in Bajano verò tanta cura ardebat, ut Architecto permiſerit, ut ſuam pecuniam conſumeret, dummodo perduceret ſpecus è piſcinis in mare.

Et Plinius: Lucullus exciſo etiam monte juxta Neapolim majore impendio, quam villam ædificaverat, Euripum, & maria admiſit, qua de cauſa magnus Pompejus Xerxem togatum eum appellabat. Hæc ille. *Plutarchus* autem à Stoico Tuberone nomen hoc illi inditum ſcribit.

Quàm ſumptuoſæ verò hæ piſcinæ fuerint, vel ex eo conſtare arbitror, quod Columella referat, Catonem, qui Luculli liberorum tutor fuit, grandi ære, ſeſtertium millium quadringentorum, piſcinas pupilli ſui venditaſſe.

Plinius immane quantum hanc ſummam ſuperat, tricies, inquit, piſcinæ à defuncto illo veniere piſces. Monſtrum videtur ſolos piſces 75. millia Philippicorum væniiſſe non credam Plin. Sed quid illud, à defuncto illo væniere piſces, lego, defuncto illo, ſcilicet Lucullo, à Catone enim Uticenſi venditi. *Varro* è contra *lib. 3. c. 2.* multùm hanc ſummam contrahit. Age, inquit, non M. Cato nuper cum Luculli accepit tutelam, è piſcinis ejus quadraginta millibus ſeſtertiis vindidit piſces, Nimis inquam, anguſte Varro, quid enim mille aurei ſunt, cū piſcis unus, aut alter 100. vel 200. aureis quandoque venierunt? legam lubens cum Columella quadringentis millibus ſeſtertiis, efficiunt 12. millia philippicorum, quod enim grandi ęre, niſi ſimilis aliqua ſumma.

Similiter in Plinio quadringenta millia legendum monent viri doctiſſimi, Ferdinandus Nonius Pincinus, & Franciſcus Maſſarius.

Quod ne cui mirum videatur, refert *Varro lib. 3. c. 2.* Ornithonem materteræ ſuæ, uno anno ſexaginta millia reddidiſſe.

Plinius etiam refert C. Hirrii villam propter piſcium multitudinem quadragies ſeſtertio veniiſſe, quod & *Varro cap. 17.* teſtatur.

Et ne quid ad luxum deeſſet, ingenioſæ gulæ diverſis locis, diverſa piſcium genera includebat. *Val. Max. l. 9. c. 1. de* Sirgio Orata. Idem videlicet, inquit, ne gulam Neptuni arbitrio ſubiectam haberet peculiaria ſibi maria excogitavit, æſtuariis intercipiendo fluctus, piſciumque diverſos greges, molibus ſeparatos includendo: ut nulla tam ſæva tempeſtas incideret, qua non Oratę menſæ varietate ferculorum abundarent.

Et Varro. Pluriſnam ut Pauſeas, & cæteri pictores ejuſdem generis loculatas magnas habent arculas, ubi diſcolores ſunt ceræ; ſic hi loculatas habent piſcinas, ubi diſpares diſcluſos habent piſces.

Nobilis etiam fuit in Sicilia piſcina, quam Araganthini magno ſumptu Geloni exſtruxerunt, quæ ambitu ſuo ſeptem ſtadia complectebatur, profundam cubitos viginti, in quam fluviatiles aquæ, fontiumque rivuli immitterentur, ut non ſolùm ad uſum, verùm etiam ad delicias piſces ſuppeterent, *teſte Diodoro Siculo l. 2.*

Sed nihil æquè Romanis erat in votis, quàm ut cicures piſces vivaria ſua haberent, & qui ex manu cibum caperent. Sic enim *Cicero l. 20. epiſt. 1. ad Atticum:* Noſtri autem Principes, digito ſe cælum putant attingere, ſi Mulli barbati in piſcinis ſint, qui ad manum accedunt, alia autem negligunt.

Plato in lib. de regno refert circa Nilum, & regios lacus eſſe, qui piſces manſuefaciunt.

Et Plinius: è manibus veſcuntur piſces in pluribus quidem Cæſaris villis; ſed quæ veteres prodidere, in ſtagnis, non piſcinis, admirati; in Eloro Siciliæ caſtello non procul Syracuſis, item in Labradii Jovis fonte anguilla, hæ & inaures additas gerunt. *lib. 23. c. 2.*

Sed hoc mirandum, inclamatos piſces ad notam vocem veniſſe, ut habet *Lucian. in dialogo de Dea Syria.* Nomina quidem habent & vocati, inclamatique adveniunt. *& Plin. lib. 10. cap. 70.* in piſcinis Cæſaris genera piſcium ad nomen venire quoſdam ſingulos.

Idem *Martialis lib. 10. Epigr. 30.*

Piſcina Rhombum paſcit, & Lupos vernas,
Nat ad magiſtrum delicata Muræna,
Nomenclator Mugilem citat notum,
Et adeſſe juſſi prodeunt ſenes Mulli.

Sed hæc fuere, nam quæ ætate noſtra conſpiciuntur paſſim piſcinæ, nihil cum veterum commune habent, ſtagna enim verius ſunt, in quibus aluntur fluviatiles, aut lacuſtres tantùm piſces, quales ſunt Lucii, Cyprini, Bramæ, tineæ vel anguillæ, quorum apud Romanos olim, nec honos, nec uſus unquam fuit. Siquidem illi nobiles tantùm, ac generoſos piſces ſuis vivariis includebant, quorum pretia vigebant, nam viles ne captare quidem, nedum alere conducebant.

PISCIUM COPIA, VEL INOPIA.

IN GENERE. Ubi piſces

Multi.

Complura piſcium genera, eaque ſuaviſſima, Nilus fluvius producit, quæ recenſet *Athen. lib. 7. c. 29.*

Pæones Praſiadem paludem incolentes, equis, & ſubjugalibus piſces pro pabulo præbent. Piſcium enim tanta eſt copia, ut quoties quis januam compactam reclinaverit, demiſſam fune ſportam vacuam, aliquanto poſt retrahat piſcium plenam. Quorum duo ſunt genera, unum, quod vocant Papraces, alterum Tilones. *Herod. l. 5.*

Apolloniam Chalcidicam fluvii alluunt Ammites, & Olynthicus, qui ambo in ſtagnum Bolycam influunt. In Olynthico monumentum eſt Olynthi Herculis, Bolyæque filii. Narrant incolæ, quòd Novembri, ac Februario menſibus Bolga in Olynthum ebullitionem mittit, piſciumque innumera multitudo ex ſtagno in fluvium Olynthiacum accedit: eſt autem fluvius hic non valde profundus, ita ut vix talum attingat tanta nihilominus piſcium venit copia, ut incolæ omnes quantum ſalſamenti in eorum uſum ſit ſatis, condire poſſint. Admirabile eſt etiam, quòd Olynthi monumentum non tranſmutetur. Priùs conſuetudinem fuiſſe inquiunt, in Appollonia menſe Februario, ut juſta perſolverent mortuis, at nunc in Novembrem menſem ea eſſe translata, ac ideò ſolis his menſibus piſces aſcendere, quibus defunctis exequias abſolvere conſueverunt. *Athen. lib. 8. cap. 3.*

Myunta piſcium copia inſignem Artaxerxes Perſarum Rex Themiſtocli ad obſonium conceſſit. *Plut. & Diod. lib. 11.*

ICARUS inſula primùm Ichthyoeſſa dicebatur ob piſcium multitudinem, quæ ibi naſcebatur, ut Sepiades à ſepiarum copia. Aliæ Phycuſæ, & Lapaduſæ, horum ſimilibus, *Athen. lib. 1. cap. 28.*

Britannis tanta piſcium eſt abundantia, cùm ubique tum quò magis ad Septentrionem accedas, ut vel ii ſoli ſufficere poſſint ad paſtum inſulæ totius: quippe cùm vicinæ circum circa gentes Gallia, Flandria, Zelandia, Hollandia, inſuper Germania omnis littori adjacens, non modò quantum ſibi ſatis ſit, immenſo navium numero in mare Britannicum piſcatum, aut ad Britannos mercatum proficiſcantur, ſed mediterraneis etiam regionibus quantum opus eſt tota quadrageſima, immò anno toto, maximo omnium quæſtu, ſubmittant, nec modò vulgarium, quales ſunt, quas eæ gentes aſportant, ſed etiam quæ in deliciis habeantur, *H. Boeth. in Scot. deſcript.*

BORYSTHENIS accolæ uno ore affirmant, piſcinas ſuas ſuapte ſponte denuò ſemine conſeri, ſive id à defluxu cæleſti, ſive à terreno humore proveniat. *Jo. Dubravius lib. 3. de Piſcinis, cap. ult.*

Lacus albus inter Stricfinnos, & Biarmos, ac Moſchovitas, verſùs polum Arcticum ſitus, dominiorum & gentium terminos habet, longus, & latus, adeòque piſcoſus, ut quibuſvis piſcatoribus, æſtivo præſertim tempore, exhibeat ſe ſine ſui diminutione liberalem. Quare ad eum multæ gentes accedunt, domeſticam proviſionem ex ejus abundantia, facturæ per totum annum. *Olaus lib. 19. cap. 45.*

BOTHNIA, quæ ſinum Gothicum, ſive Sveticum ad Septentrionem terminat, latiſſima eſt terra, diviſa in tres magnas provincias, Occidentalem, Aquilonarem & Orientalem. Qui Aquilonarem incolunt, piſcatu maximè vivunt: non quòd agrum ſterilem habeant, ſed quia tanta eſt his copia piſcium optimorum, ut in omnium neceſſariarum rerum permutationem abundè ſufficiat. Suntque in omnibus rebus locupletes: ſiquidem ex Hiſpania, ac Luſitania optimum vinum, & ſal: ex Anglia, & Flandria pretioſum pannum: ex Germaniæ civitatibus variam domorum ſupellectilem, & ornatum, præter domeſticum cultum: ex Svetia, & Gothia triticum, ſiliginem, hordeum, & omne genus neceſſarii leguminis, illuc navibus advectum, comparant. Omne littus, inſula, ſinus, amnis, rivulus illic exuberantem piſcium copiam toto anno, maximè tempore æſtivo, quo omnia ibi amœniſſima ſunt, præbet. Inſulæ circa maris littora plurimæ ſunt, & jucundiſſimæ: quæ herbis, arboribus, & graminibus, maximam delectationem exhibent. Labitur ex montibus hujus Aquilonaris Bothniæ (id eſt, fundi maris) undoſus, & profundus amnis: qui duobus oſtiis fertur in mare, relicto in medio brevi ſpatio, in quo eſt oppidum, quod Thorna, id eſt, turrita inſula dicitur: cujus Latitudinis elevatio eſt circiter 82. grad. Longitud. 42. Nec aliud emporium frequentius in toto tractu ſuppolari. Confluunt eò Ruſſi albi, Lappones, Biarmi, Bothnienſes, Finni, Sveci, Tavaſti, Herſingi, & complures alii. Comportati piſces diverſarum ſpecierum, mercatoribus longinquarum Provinciarum rerum commutatione venundantur. Mercimonia non pecuniarum numeratione (eo quòd gens illa nummos non æſtimat) ſed commutatione rerum neceſſariarum ineunt. Et id quidem fit, quia ad hoc emporium ob populi ſimplicitatem, ac credulitatem, plerumque à doloſis mercatoribus importata moneta deprehenſa ſit falſa, vafro præſertim ingenio Moſchovitarum, qui illuc circa æſtivale Solſtitium in magno numero, navigia in humeris aliquando inter diſtantes aquas portantes, concurrere ſolent. *Olaus lib. 20. cap. 1. & 2. gentium Septentrionalium.*

Jutia Daniæ regionis Sinus, qui Lymicus appellatur, ita piſcibus abundat, ut non minus alimentorum indigenis, quàm ager omnis exſolvere videatur. *Saxo. præfatione.*

In Scania Daniæ regione interjectus maris ſinus, quotannis omni piſcium frequentia repleri conſuevit, ut interdum impacta navigia vix remigii conamen eripiat: nec jam præda artis inſtrumento, ſed ſimplici manus officio capiatur. *Saxo libro primo.*

LAPPONES piſcibus abundant, eoſque captos frigore excoquunt, & edomant in farinam. Tantum denique ſupereſt capturæ, ut ejus plurimùm condant in cerariis, & exportent in vicinas terras Northbothniam, & Ruſſiam. *Zieglerus in Scondia.*

Magni.

In Syria fluvium nomine Chalum, celebrat ἀναβάσεως primò Xenophon, in quo viſuntur piſces magnitudine inſignes, ac miti, manſuetoque ingenio: Eos, inquit, deos arbitrabantur Syri, nec injuria affici patiebantur, ſicuti neque columbas. *Cœlius lib. 18. cap. 34. A. L.*

Optimi, Suaves.

☞ *Piſces optimi quibus in locis reperiantur. Cælius lib. 28. capite 7. A. L. docet.*

Vocales.

MNASEAS Patrenſes piſces, qui ſunt in Ladoriæ fluvio, circa Arcadiæ Clitorem, vocem emittere ſcribit, quamvis ſolùm ſcarum, ſuemque fluviatilem Ariſtoteles vocem emittere dixerit. At Philoſtephanus genere Cyrenæus, Callimachique familiaris, in Mirabilibus fluviorum ſcripſit, piſces eſſe in fluvio Aorno, qui fluit per Pheneum, qui vocem emittant turdis perſimilem, qui variegati dicuntur. *Athen. lib. 8. cap. 1.*

Cicures.

NYMPHRODORUS Syracuſius in circumnavigationibus, lupos, anguillaſque magnas ita manſuetas eſſe ſcribit in flumine Eloro, ut panem accipiant ex manibus porrigentium. Ego verò vidi (inquit *Athen. l. 8. c. 1.*) in Arethuſa in Calcide, mugiles domeſticos, & anguillas inaures aureos, & argenteos habentes, cibumque ex præbentium manibus capientes, victimarumque inteſtina, & caſeum recentem. *Athen. lib. 7. cap. 17.*

Foſſiles.

Quæ loca piſces terrenos, hoc eſt, abſque aqua in ſcrobibus viventes ferant, *Pete ex Plin. lib. 9. cap. 57.*

Piſces effodi in Heraclea, & apud Titium ponti Mileſiorum coloniam, ſcribit Theophraſtus. Idem de piſcibus in glacie per hyemem compactis narrat: qui non priùs ſentiunt, aut moventur, quàm in ollas conjecti coquantur. In Paphlagonia, in profundis locis, quæ neque fluviorum, neque calidarum aquarum habeant fluxus, piſces vivos inveniri aſſerit. *Athen. lib. 8. cap. 1.*

EUDOXUS tradit, foſſiles piſces eſſe in Paphlagonia in locis ſiccis, locum tamen non determinat, item in humidis circa lacum in Aſcanium, qui apud Cium eſt, ſed nec id perſpicuè dicit, *Strabo lib. 12.*

Polyb. lib. 34. Hiſt. planitiem eſſe inquit poſt Pyrenem, ad Narbonem uſque fluvium, per quam Ilebernis, & Roſcynus fluvii civitates à Celtis conditas ejuſdem nominis alluentes, defluunt, in qua piſces ſint effoſſi. Habet autem hæc planities terram exſolutam, multùmque gramen innatum: ſubter terra eſt ſabuloſa ad duas, vel tres ulnas, ſub qua aqua invenitur, quæ à fluminibus aberravit, in qua piſces ſub terra diſcurrunt per rivos ipſos cibi gratia, quia graminis radicibus mirum in modum delectantur: totam planitiem idcirco piſces ſubterranei occuparunt, quos excavantes capiunt. *Athen. lib. 8. cap. 1.*

Venenati, Noxii.

Immenſam quandam aquarum vim in ſubterraneis ſpecubus latere Philoſophi tradunt, quæ etiam interdum erumpant ſecùmque magnam piſcium multitudinem efferant. Cæterùm piſces illos, ut in tenebris ſaginatos, tum aſpectu deformes, atque horridos, tum guſtatu noxios, ac mortiferos eſſe. In Caria quidem cùm id aliquando contigiſſet, quicumque illos ederant piſces, omnes ad unum periiſſe, litterarum monumentis proditum eſt. *Ant. Muretus lib. 9. var. lect. cap. 4.*

CTESIAS in Armenia ſcribit, eſſe Fontem, ex quo nigros piſces illicò mortem afferre in cibis: quod & circa Danubii exortum audivi, donec veniatur ad fontem alveo appoſitum, ubi finitur id genus piſcium. Ideòque ibi caput ejus amnis intelligitur fama. Hoc idem & in Lydia in ſtagno Nympharum tradunt. *Plin. lib. 31. cap. 1.*

In Sicilia fons Arethuſa magna copia fert piſces ſacros,

quippe ab hominibus intactos. Sæpius qui eos bellorum A tempore edere auſi ſunt deorum, ira magnas calamitates ſubierunt. *Diodorus lib. 5. cap. 2.*

In Laconia ad oppidum Ægyaseſt Stagnum, quod Neptuni dicitur, in ripa ejuſdem delubrum, & ſimulacrum. E ſtagno piſces metuunt extrahere, quòd qui eos ceperunt, ex hominibus in piſces mutari dictitarent. *Pauſan. in Lacon.*

Salmones.

In Neſſa lacu Scotiæ major reperitur piſcium, atque in primis Salmonum vis, quàm uſquam alibi. Sed novus is piſcandi mos eſt. In intimo maris ſinu cratem longo tractu directam cœno inducunt, in angulis ſuis ternis, quaterniſve gyris involutam: adversùs quam piſces adveniente mari delati in gyris illis ſeſe implicant: unde nec facilis manente aqua fit illis exitus. Itaque mox abeunte Oceano in ſicco deſtituti, advenientium manibus prædas ſeſe exhibent. *H. Boeth. in Scot. deſcrip.*

Vix alicubi in tota Europa uberior Salmonum piſcatura reperitur, quàm in Bothnico mari verſus Lappones, è quorum montibus, & terris vaſtiſſima flumina dulcium aquarum deſcendunt: contra quæ ſub ſolari æſtu aſcendere videntur Sal- B mones. Similiter & in lacu vaſtiſſimo Vener dicto, apud Veſtrogothos: *Ibid. cap. 3.*

Leviſſa inſula, Hebridum una, unicum habet amnem: quem ſi vado tranſierit mulier, nullus in eo Salmo eo anno videbitur, affluente alioqui piſcis illius multitudine. *Idem ibid.*

In Auſtrali Momonia, Hiberniæ fluvius eſt Salmonibus ad miraculum uſque fœcundiſſimus. Defluit ex ripa cum impetu: per quam catharractam Salmones, quantum haſtæ longiſſimæ eſt altitudo, ſaltu mirabili, & niſi piſcis proprietas hoc exigeret, miraculo tranſcurrunt. Ideò à ſaltu Salmones dicti. Modus ſaliendi, & proprietas hæc eſt. Piſces hujuſmodi naturaliter contra aquæ curſum nitentes (ſicut enim avibus contra flatum, ſic & piſcibus contra fluctus mos eſt eniti) cùm obſtaculum inveniunt valde præruptum, caudam ad os replicant. Interdum etiam, ad majorem ſaltum efficiendum caudam ipſo ore comprimunt: dùmque à circulo hujuſmodi ſe ſubitò reſolvunt, cum impetu quodam, tam ſubita virgæ inflexæ explicatione, ſe ab imis ad alta cum intuentium admiratione longè tranſmittunt. *Gyraldus cap. 41. Topogr. Hibern.*

* In Belgio quoque innumerabilis Salmonum frequentia. C In Moſa flumine, maxime circa Ruremundam Geldriæ oppidum: ſic ut Antuerpiæ in foro piſcario perhibeantur aliquando venales expoſiti uno die Salmones 1400.

Lati.

Lati qui in fluvio Nilo naſcuntur, ad ducentarum librarum, vel etiam plurium pondus accedere ſunt deprehenſi. Eſt autem hic piſcis candidiſſimus, optimus, ſuaviſſimuſque, quacumque ratione fuerit conditus. Eſt ei piſci ſimillimus, qui naſcitur in Iſtro, ac Silurus dicitur. *Athen. lib. 7. cap. 29.*

Delphini.

In Promontorio Bœticæ propè Gaditanum fretum, certis temporibus anni, innumera delphinorum multitudo ad littora accedit, quaſi piſcatoribus ſe offerant. Turres enim inibi ſitæ ſunt, ex quibus venire catervatim cernuntur: & appoſitis magnis retibus, cum parvo labore, & ſummo venandi gaudio tanta capitur piſcium copia, quantam piſcatores volunt, appoſitiſque ſalibus conſervantur, & per totum ferè orbem deferuntur. Unde Strabo, In mari, inquit, Hiſpano omnia genera piſcium capiuntur, ut delphini, oſtrea, conchylia, con- D gri, murænæ. *Rod. Santius part. 1. hiſt. Hiſp. cap. 2.*

Lupi.

Sunt lacus dulcium aquarum in montanis Lapponiæ ampliſſimi: in quibus tanta eſt luporum aquatilium (quamvis & aliorum piſcium) copia, ut non ſolùm alendis hominibus, per quatuor ampliſſima Septentrionalia regna ſufficiant, ſed etiam latius, ſale, ſoleque ſiccati, navigiis, velut lignorum magnæ ſtrues, in amplam Germaniam vendendi exportentur. Itidem de lacubus Finlandiæ cenſendum eſt. *Olaus lib. 20. cap. 20.*

Acipenſer.

Acipenser Syracuſius laudatur ab Archeſtrato. *Athen. lib. 7. cap. 18.* Thunus Gaditanus, Samius, & Byzantius. *Ibidem cap. 20.* Mugil Abderitanus, & Sinopenſis *cap. 25.* Lupus Mileſius *cap. 28.*

Anguillæ.

☞ *Vide Locum de Anguillis.*

Congri.

Philemon comicus Poeta mentionem fecit & ipſe congrorum excellentium Sicyone. *Athen. lib. 7. cap. 12.*

E *Eudoxus* certè. *lib. 6. terræ ambitus* tradit apud Sicyonios congros capi permultos ἀνδραχθεῖς, hoc eſt, tantæ magnitudinis, ut juſto pondere bajulum onerent: nonnullos etiam ἁμαξιαίους, hoc eſt, juſtum onus vehiculi.

Polypi.

Polypus in Caria, Thaſoque optimus, plurimus in Corcyra. *Athen. lib. 7. cap. 32.*

Aſtaci.

Naſcuntur aſtaci in Helleſponto, & circa Thaſum, locuſtæ multæ capiuntur circa Sigæum, & Atho, quæ diuturnam vitam omnes ſortiuntur. *Athen. lib. 3. cap. 13.*

Oſtrea.

Oſtrea à veteribus mirè commendabant. De iis ſic ſcribit Mutianus: Cyzicena majora Lucrinis, dulciora Britannicis, ſuaviora Edulis, acriora Lepticis, pleniora Lucenſibus, ſicciora Coryphantanis, teneriora Iſtricis, candidiora Circejenſibus. Sed his neque dulciora, neque teneriora eſſe ulla, compertum eſt. In Indico mari Alexandri rerum auctores pedalia inveniri prodidere. Necnon inter nos nepotis cujuſdam nomenclator trinacna appellavit: tantæ amplitudinis intelli- F gi cupiens, ut ter mordenda eſſent. *Plin. 32. cap. 6.*

Purpuræ.

Purpuræ commendantur in Aſia quidem Tyriæ, in Europa Laconicæ, in Africa Meningiæ, & Getulicæ. *Plin. lib. 9. cap. 35.*

Fert Laconicum mare conchylia, ex quibus ad infecturam veſtium purpura comparatur, nobilitate ſolis iis, quæ in rubro mari capiuntur, inferiora. *Pauſan. in Lacon.*

Bulis urbs Phocidi finitima eſt. Inquilinorum dimidia, plus parte vitam tolerant, è quibus purpura elicitur, conchyliorum piſcatu. *Pauſan. in Phocicis.*

Tyrus olim ſeptingentos paſſus, à littore diſcreta, mox Magni Alexandri operibus continens facta, purpura, & conchylio nobilis, nullibi terrarum gratior apparatus, ob idque & à Romanis Tyrii ipſi, & à Regibus libertate donati. *Sab. l. 4. En. 1.*

Sardinia inſula maxima juxta Italiam, in qua gignuntur purpuræ inſignes, & acutiſſimæ. Proverbium.

Tinctura Sardinia: id eſt, rubra, purpurea. *Suidas*

G *Conchæ, Margaritæ.*

In Mula inſula Hebridum una fons eſt limpidiſſimus, duobus paſſuum millibus à mari diſtans, ex quo ova quædam exigua, margaritarum modo ſplendentia, candidaque, & ſpiſſi humoris plena, exili torrente in foſſam littori propinquam, in qua aqua marina eſt, deferuntur: ibique ante ſpatium horarum duodecim in conchas ingentes evadunt. *H. Boeth. in Scot.*

Apud Scotos conchæ limpidiſſimis, puriſſimiſque amnibus, ac nullo unquam limo turbidis, quà profundiſſimi ſunt, agere gaudent, in eiſque ſolis margaritas concipiunt. Sub auroram enim cœlo ſereno, temperatoque, in aerem ſe, donec capitibus aqua extent, ſublevantes, roridum liquorem oſcitatione avidè excipiunt, pro concepti ſeminis multitudine partu, aut exili aut grandi futuro. Senſus illis tam acutus ineſt, ut ſi altiorem in littore aſtans vocem emiſeris, aut lapillum quantumvis minutum in aquam conjeceris, repentè ſe ſubtrahentes ſubſidant univerſæ. Ea enim illis theſauri ſui cuſtodiendi naturalis indita eſt ſolertia, haud ignorantibus videlicet, quanti ſit pretii apud mortales luxus ex fœtu ſuo comparatus. Itaque piſcantes quoque id maximè obſervant, ut primo attactu teſtas H conjunctas arctiſſimè detineant, protinus alioquin illis unionem evomituris, Quaterni, aut quini humerorum tenus flumen ingreſſi, atque in orbem ſtantes, contum alterutra manu, quò firmius conſiſtant, fundo fixum tenent: inde oculis per aquæ limpiditatem prædas colluſtrantes, pedum digitis (nam manibus id fieri prohibet altitudo) teſtarum torturas placidè comprehendunt, atque aſtantibus vacua manu excipiendas præbent. *H. Boeth. in Scotiæ deſcriptione.*

Haleces.

In lacu Fin, in Argatholia Scotiæ regione, præter variorum piſcium copiam, tanta halecum vis reperitur, quanta nullo in loco, humano acceſſui patenti. *Ibidem.*

Halec in littoribus Meridionalis Gothiæ terræ Schoningię, ſub principio autumni in tanta multitudine plerumque capitur, & infinitis in vaſis ſale cōditur, exportaturque, ut ſufficiat in ſalſamentorū genere majori parti totius Europæ cibandæ. Capitur & duobus, aut tribus milliaribus ab eo loco, ſed degener eſt in ſapore, & æſtimatione, ac vilipenditur. Eſt etiam

eodem

eodem tempore copioſiſſima halecis piſcatura in littoribus A Angliæ, & Scotiæ, quæ per piſcatores Flandriæ inſtituitur: à quibus poſteà ſortitur nomen, ut Romam ille piſcis delatus, halec Flandrorum appelletur. Non tamen adeò pingue genus eſt piſcium, ob paſtum minus uberem, ac undarum conflictum, quemadmodum halec Septentrionale, quod propter gratum ſaporem ubique in majori pretio habetur. *Olaus lib. 20. cap. 20. Septentrionalium gentium.*

Salpæ, Aſelli.

Norvegia mittit in reliquam Europam piſcem ex genere aſellorum, frigore induratum, & extentum in fuſtem: unde & eum Germani dicunt *Stockfich.* Captura ejus laudatiſſima eſt Januario, quando ſupereſt frigus, ut induret. At qui clementioribus menſibus fuerunt capti, marceſcunt, neque ſunt idonei, ut exportentur. *Zieglerus in Scondia.* In Norvegiano Oceano ſalpæ capiuntur copioſiſſimæ, quas ſole, vel fumo, vel vento ſiccatas in emporio Norvegiæ celeberrimo, Bergen dicto, vendunt. Unde *Bergerfiſch* vulgò dicuntur: à Germanis autem, quia ligneo malleo ſupra truncum molliendi veniunt, *Stockfiſch. Olaus lib. 21. cap. 1. & 2.*

Pelamides.

B Byzantiorum cornu ad Byzantii mœnia propè ſpectat, cornu cervino perquàm ſimilis, nam in plures ſinus perinde ac ramos quoſdam ſcinditur, in quos irruentes pelamides facilè capiuntur, cùm earum multitudine, tum vi, & impellentis fluminis impetu ut propter ſinus anguſtiſſimos vel manibus comprehendantur. Earum generatio in Mæoticis paludibus fit, inde verò paulatim erumpunt grege facto per os ipſum, ac propè littus Aſiaticum uſque Trapezuntem ac Pharmaciam excurrunt. Hinc primùm earum venatio exiſtit, non copioſa admodum. Nondum enim conveniens eſt multitudo. Ut verò Sinope propius acceſſerint, ſpecioſior nimirum earum eſt piſcatio ſimul, & ſalſamentaria, poſtquam verò Cyaneas tranſierint, & ex ripa Chalcedonia albicans occurrit petra quædam, tantus beſtiis ipſis terror incutitur, ut è veſtigio in ulteriorem convertantur ripam. Quas cùm præceps aquarum curſus corripiat, & innata locorum aptitudo maris fluxum ad Byzantium cornuque Byzantii deflectat, & eo naturæ impetu propellat, copioſum Byzantinis, populoque C Rom. ſuppeditat proventum. At enim Chalcedonii in ulteriore propè conſiſtentes littore, in nullam ejus ubertatis communionem accedunt, quoniam ad eorum portus ne una quidem pelamis ſeſe applicat. *Strab. lib. 7.*

Eſt in Euripo Thracii Boſphori, inquit Plinius, Propontis Euxino jungitur, in ipſis Europam, Aſiamque ſeparantis freti anguſtiis, ſaxum miri candoris, à vado ad ſumma perlucens, juxta Chalcedonem in latere Aſiæ. Hujus aſpectu repentè territi thynni, è ponto in Ægæum deſcendentes ſemper adverſum Byzantii promontorium ex ea cauſa appellatum Auri cornu præcipiti petunt agmine. Itaque omnis captura Byzantii, eſt magna Chalcedonis penuria, D. paſſ. medii interfluentis Euripi. *Plinius lib. 9. cap. 15.*

Crocodili.

Ex Atlante monte extremæ Libyæ aqua turbulenta tribus auleis deſcendens, ab arenis exſorbetur (hoc flumen hodie Nigrum appellant.) circa ejus fontes crocodili cubitales gignuntur: qui ubi propiùs homines accedere ſenſerint, in fontem ſe demergunt. Unde quidam ſuſpicati ſunt, ab hac ipſa aqua è mediis arenis emergente Nilum poſtea oriri. *Pauſan. in Attic.*

Ranæ.

D Cyrenis mutæ fuere, illatæ è continente vocalibus durat genus ranæ. Mutæ ſunt etiam nunc in Seripho inſula. Eædem aliò tranſlatæ canunt. Quod accidere & in lacu Theſſaliæ Sicendo tradunt. *Plin. lib. 8. cap. 58.*

---

* Planeta.

Definitio, et Etymologia.

Planetæ ſunt ſeptem corpora cœleſtia terræ proxima, habentia præter motum primi mobilis, quo rapiuntur ab ortu in occaſum, peculiarem quandam, illique contrariam converſionem, unde & nomen acceperunt ἀπὸ τοῦ πλανᾶσθαι, quod eſt errare, quia ſcilicet à motu aliorum ſiderum aberrare videntur. Latini erratica ſidera, ſive errantes ſtellas appellant.

Numerus, et Ordo.

Septem numerantur Planetæ, è quibus Saturnus ſupremum locum obtinet: proximum Jupiter, tertium Mars: quem deinde Sol ſubſequitur. Solem Venus, Venerem Mercurius ſe- E quitur. Luna omnibus inferior, infimum & minimum orbem poſſidet.

Motus proprius.

Annis triginta Saturnus conficit orbem:
Signiferum abſolvit duodenis Jupiter annis.
Menſe quater ſeno trux circuit aſtra Gradivus.
Curriculum Titan bis ſenis menſibus implet.
Conficit atque Venus totidem: totidem quoque Stilbon.
Omnem menſe polum Phœbe nocturna pererrat.

Natura, et proprietates.

Saturnus frigidus, & ſiccus eſt, ideòque pallidus, & colore plumbeo.

Juppiter calidus, & humidus temperatus, quam quidem naturam ſortitus eſt (auctore Ptolemæo) à loco, quem retinet, quia inter Saturnum, & Martem collocatus eſt. Humanæ naturæ propitius eſt, atque amicus.

Mars calidus & ſiccus, rutilans & flammeus color.

Sol eſt majus lumen cœli, in dominium diei conditum, cujus motu efficiuntur horæ, dies, annus, tempora, vitaque, F motus, & ſenſus, & incrementum inferioribus rebus.

Venus ἑωσφόρος, & φωσφόρος, Lucifer, quando manè ante ortum Solis conſpicitur, diem prænuntians & maturans. *Ovid. lib. 1. Metam.*

——Stellarum agmina cogit.
Lucifer, & cæli ſtatione noviſſimus exit.

ἕσπερος autem, Latine veſper, & veſperugo, quando poſt Solis occaſum fulgens diem prorogat, ut Plinius loquitur, humida, & mediocriter calida, clariorque, & fulgentior Jove.

Mercurius varius, & naturæ verſatilis, & lucidus, vim habens excitandi flatus, ipſe, quo vulgò fertur, furum pater aut ingeniorum.

Luna eſt minus lumen cæli in dominium noctis conditum, humida & mediocriter calida, humorum mutationes, incrementa, & decrementa efficiens. Unde Ariſtoteles ſcribit, natos infantes, cùm Luna in Conjunctione latet, propter inopiam humoris, ſeu potius depravationem, imbecilliores eſſe.

Sunt, qui verſibus hæc expreſſerunt:

Saturnus. G

Mortales odio infeſtans, & peſte maligna,
Falcifer immiti devorat ore ſenex.
Ora modis miris ſemper cui livida pallent,
Invidia huic cordi eſt, ambitioque latens.
Turpis, iners animus, frigus ſub pectore torquet,
Adjuvat hæredem, vomere ſcindit humum.

Jupiter.

Utilis affulget jucundo ſidere terris
Jupiter, unde juvans dicitur eſſe pater.
Jura, Magiſtratus, Fora, Templa tuentur, & Urbes,
Juſtitia clarus, conſiliiſque viget.
Efficit hic magnis gratos, & amator honeſti,
Ex imo natos tollit ad alta gradu.

Mars.

Igneus ecce micat rubicundo lumine Mavors,
Pectus & accenſum fervida bilis agit.
Hunc iræ rabies, furor, arma ferocia, cædes,
Proditio, bellum, ſeditioque juvant. H
Sæpius apportat claram victoria famam,
Lites ex ſpoliis, diſſidiiſque facit.

Sol.

Sol oculus mundi, vitæ Sol, lucis & auctor,
Lucens ſolus humo, nomina Solis habet.
Magnanimos, juſtos, creat hic & ſæpè ſuperbos,
In ſolio Reges collocat, atque Duces.
Longævos facit hic, & magno nomine claros,
Splendida fert Regum dona favore potens,
Diſcutit ut tenebras radiis ardentibus atras,
Sic Sol nativo cuncta calore fovet.

Venus.

Hæc Soli vicina Venus nitet aurea vultu,
Blanda, decens, formæ jura potentis habet.
Lætitiam, choreas, luſus amat, otia quærit:
Editus hoc amor eſt, hac genitrice jocus.
Vere novo gaudet, terram fœcundat, & æquor,
Commoda dant thalami fœdera, dote beat.

Mercu-

MERCURIUS.

A *Mercurius fertur brevibus levis æthere gyris.*
Inconſtans, varius, nec ſtatione manet.
Hic aciem ingenii, varias largitur & artes:
Dulcis & orator voce, Poeta lyra eſt.
Mercator bonus eſt, animi vim mobilis æquè
Applicat ille bonis, applicat ille malis,

LUNA.

Luna per humentes tenebras, & candida bigis
Luce micat fratris: corpora magna creat.
Herboſis habitat ripis, freta cærula Ponti
Navigat: extremo quærit in Orbe domum.
Dat thalami ſocias, in Regna ablegat & Urbes,
Inſtabilis vitæ mutat & illa genus.

Hæc Diſticha ſingulorum Planetarum domos, exaltationes & cauſas demonſtrant.

Saturni domus eſt noctis Caper, verna diei,
Huic dolor eſt, Aries, gloria Libra, ſeni.
Jupiter Arcitenentis habet cum Piſce Sagittam,
Cui tamen in Cancro ſors bona, iniqua Capro.
B *Sed Martis domus eſt Aries, & Scorpio pugnax,*
Huncque Caper tollit, Cancer ad ima premit.
Sol habet hoſpitium ſibi ſolus in æde Leonis,
Atque illi eſt Aries gloria, Libra dolor.
At Venus in Tauro, Libræque per atria verſat,
Piſcibus exultat, Virgine preſſa jacet.
Mercuriuſque habitat Geminorum in ſede, triumphat
Virgine, & eſt mœſtus Piſce adeunte caput.
Luna domum Cancri tenet: illam Taurus honorat,
Et ſupra hanc verſans Scorpio ſorte premit.

Iſta verò Hexametra Menſes anni, & Signa, in quibus Sol verſatur, Solſtitia item, & Æquinoctia complectuntur.

Martius, atque Aries producunt tempora Veris.
Aprilis ſecum torvi fert cornua Tauri.
Floribus adducit Geminorum ſidera Majus.
Solſtitium æſtivum Cancri fert Junius axe.
Quintilem menſem Leo fervidus igne perurit.
Auguſto meſſes tecum trahis aurea Virgo.
Æquat September noctes examine Libræ.
Scorpius Octobrem pugnax, jubet ire minacem.
C *Exerit Arcitenens medio ſua ſigna Novembri.*
Solſtitiumque affers hyemis Capricorne Decembri.
In medio Jani madidi ſtat ſidus Aquari.
Procedunt duplices in Februa tempora Piſces.

☞ *De Planetarum conjunctione, ejuſque effectis, conſule Locum de Aſtrologia. Tit. Prædictiones Aſtrologicæ.*

---

* Plebs.

DEFINITIO, ET VOCIS USURPATIO.

VARIA.

NOmen Plebis complectitur aliquando quoslibet ſine diſcrimine, aliàs verò homines infimæ ſortis, inquit *Gell. lib.* 10. *cap.* 20. qui etiam dicuntur Plebei. Interdum illos, qui privatam vitam ſine magiſtratu du-
D cunt. Nonnunquam illos, qui divino cultui non mancipantur, quos laicos ἀπὸ τοῦ λαοῦ, id eſt, à populo vocamus. Sic Latini Laicos dicimus velut ſacrorum extorres, ſive in ordines divinos non redactos.

Conſtat in Scriptura, ſæpè plebem in prima illa ſignificatione reperiri, v. g. cùm Joannis Præcurſoris pater decantat Deum Iſrael feciſſe redemptionem plebis ſuæ. *Lucæ* 1. prædicitque filium paraturum vias Altiſſimi, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus; cùm ſenex Simeon ſalutare Dei eſſe gloriam plebis Iſrael *Lucæ* 2. cùm omnes ſuſcitato adoleſcente magnificabant Deum, dicentes, quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitavit plebem ſuam.

In hiſtoria Regum diſtinctio innuitur apertè, quando narrantur à Domino percuſſi de populo Bethſamitarum, qui viderant arcam, ſeptuaginta viri, & quinquaginta millia plebis. 1. *Regum* 6. Ibi enim pro populo Hebraicè habetur עם *hham* & pro plebe איש *iſch*, Græcè autem pro populo legimus ἄνδρες, & pro plebe ἄνδρας τοῦ λαοῦ. Chaldaicè verò primi illi vocantur בצבי עמא *beſabbe hamma*, id eſt, de ſenibus populi, ſecundi verò dicuntur בקהלא *bikhala*, id eſt, de univerſitate.

Hanc diſtinctionem ſervavit *Iſidorus lib.* 9. *Etymolog. cap.* 4. populus inquiens, univerſi cives ſunt, connumeratis ſenioribus: quaſi dicatur plebs à pluritate, quia major eſt numerus minorum, quàm ſeniorum. Populus quaſi πολιτῶν ἀθροισμὸς, id eſt, Civium cœtus. E

Apud Romanos, auctore Romulo, duos in ordines populus erat diviſus, *teſte Dionyſio Halicarnaſſ. lib.* 2. Plebejum, & Senatorium. Hujus progenies erant Patricii, ſeu Optimates, qui dicebantur ab Athenienſibus (apud quos *auctore Plutarcho in Theſ.* ſimilis erat diſtinctio) εὐπατρίδες: & poterant exercere militaria officia, Magiſtratus gerere, ſacra facere, jus dicere, adminiſtrare publica, urbanaque negotia.

PLEBEIIS, quos Græci δημοτικὸς nominabant, licebat milites eſſe, agros curare, pecus depaſcere, & reliquas artes factitare. *Lege Alex. ab Alexandro lib.* 5. *cap.* 8.

☞ PLEBISCITUM. *Vide Lex. Magiſtratus.*

---

* Pluvia.

DEFINITIO, ET CAUSA. F

PLuvia eſt nubes in aquam reſoluta: Cujus proxima materia ſunt nubes fœcundę, & irriguo humore plenę. Quamvis ad pluviam gignendam multùm faciant cæleſtium corporum influxus, & ſiderum conjunctio, quod experientia docet. Etiam venti multùm faciunt ad nubium diſſipationem, ſic ut motu ſuo aquam excutiant.

PARTITIO.

Duplicem faciunt Naturales ſpeciem Pluviæ, Imbrem, & Nimbum. Imber dicitur, cùm guttæ crebriores & minutiores ob vaporis tenuitatem jugi tenore defluunt.

Nimbus, cùm guttæ paulò grandiores cadunt, quod propter antiperiſtaſim caloris, & frigoris accidit, maximè æſtate.

PLUVIÆ EXTRAORDINARIÆ, ET PRODIGIOSÆ.

Exiſtunt aliquando pluviæ quædam præter uſitatum naturę G
ordinem, quarum nonnullæ prodigii loco habentur: decidunt quippe permixtæ aquis ranæ, piſciculi, ſanguis, lac, lapides, ferrum. Quæ quidem aliquando ad mortalium terrorem, aliumve ejuſmodi finem, Deo ita ſecundas cauſas diſponente, immittuntur: aliquando citrà ullam rationem portenti accidunt.

Eorum verò cauſa eſt, varia commiſtio exhalationum cum vapore humido, congruenti qualitatum vi.

Itaque quod ad animalia ſpectat, ſicuti in paludibus, lociſque cœnoſis, vel alicubi ex putreſcente materia, colubri, pulices, vermes, rubetæ, mures, & quamplurima terræ monſtra gerunt, paſſim oriuntur: ſic nihil mirum ſi pluvio cælo, concurrentibus vel in aere ipſo, vel in terra conſimilibus cauſis, ſubitò quorumdam animalium ortus contingat.

Quod verò attinet ad lac, & ſanguinem, dicendum, quando iis pluit, non habere illa veram formam lactis, & ſanguinis, ſed adumbratam dumtaxat, & apparentem: quia experientia compertum eſt, hæc non niſi à principio vitæ conjun- H
cto oriri.

Quibuſdam placet vehementem Solis ardorem è locis cruentis, ſeu aliquo rubenti ſucco madidis, humorem ſanguineum, rubicundumque attrahere, qui unà cum pluvia decidat, eamque intingat, atque ita pluviam ſanguineam apparere. Quod ſimiliter dicunt de lactea.

Item videri nonnunquam piſcibus pluere, quia ecnephias, aut vorticoſus aliquis flatus, correptos è mari piſciculos alium in locum proiicit. Idemque ſimiliter in lapidum, & cæterarum rerum imbribus interdum uſu venire. *Lege Albertum Magnum libro* 2. *tract.* 1. *cap.* 12. *& de pluviis piſcium. Athen. lib.* 8. *cap.* 2.

SIGNA CUM NATURALIA, TUM PROGNOSTICA.

Signa pluvię varia obſervant Philoſophi naturales, quorum tamen cauſæ in arcanis naturæ latent, & experientia potius quàm

quam ratione innoteſcunt, quamvis alia ſunt, quorum ratio
A facilè redditur. Ita certum pluviæ ſignum eſt rubedo cœli matutina circa ſolem, quæ oritur ex vaporibus à nocturna humiditate relictis. Sicuti è contra rubedo ad veſperam ſerenitatem notat. Unde verſus.

Nocte rubens cœlum tempus notat eſſe ſerenum.
Manè rubens cœlum tempus ſignat pluvioſum.

Sic nubes craſſior ambiens orientem, aut occidentem, Solē, nubiū aſcenſus, Solis aut Lunæ pallor, ortus ſolis nimis matutinus, ſtellæ rariores de nocte apparentes ob vaporū abundantiam ventorum mutationes crebræ Auſtrales venti, roris defectus tempore, quo decidere ſolet, agitatio frondium, pulveris elevatio, fluviorum imminutio, lapidū & parietum humectatio, certam pluviæ imminentis ſignificationem habere volunt.

Quibus addunt eandem indicari per manuum ariditatem & labiorum fiſſionem, aut aſperitatem: Lampadis accenſæ obſcuram ſcintillationem: Cantum ranarum, obtuſitatem aviū, volitationem hirundinum circum lacus, aut fluvios, corvorum crocitationem, vaccas caput in altum levantes, & auras captantes. Denique ſi culices fortius pungant, formicæ ova
B ſua egerant, &c. Vide plura apud eos, qui de Meteoris ſcripſerunt, *& Virgil. lib.* 1. *Georgic.*

---

* Poculum.

* DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

POculum latinis pro quovis inſtrumento bibendi uſurpatur, nempe à potu, ſive potando. Potoria à Plinio & aliis nominantur, & ſunt velut inſtrumenta & tormenta bellica, quibus cyclopici illi potatores ſe invicem torquent, petunt, & proſternunt. Unde *Ambr. lib. de Elia, & jejunio cap.* 13. Cernas poculorum diverſorum ordines, aciem ordinatam putes vaſa expoſita aurea, & argentea pompam arbitreris, cornu in medio vini plenum, non epularis, ſed præliaris inſtrumentum buccinæ.

Græci quoque generatim vaſa, è quibus bibitur ποτήρια appellant: Cujus vocis primus inventor dicitur Amorgius Poeta ἀπὸ τῆς πόσεως à potatione. Unde ποτηρίων γλύπτης poculorum ſculptor etiam πότημα Heſychio poculum eſt: quamvis apud Græcos ſint alia vocabula, ut κύαθος, κύλιξ, σκύφος, quæ
C licet particularem poculi ſpeciem ſignificent, tamen generatim uſurpantur pro quocunque.

Hebræis commune eſt nomen כוס Cos, in plurali Coſoth. *Geneſ. c.* 40. *Hieremiæ* 35. Ab hoc Græcum χοῦς, quod menſuræ genus & videtur dimanaſſe.

GENERA, ET MATERIA VARIA.

Primùm Naturalia, Puta MANUS.

Pocula homini propria, & naturalia ſunt Manus, quas Deus homini ſoli ceu animali ſanctiori, & erecto, mentiſque participi, ad muneris, prudentiæque ſuæ exequenda officia attribuit, ut Ariſtoteles, & Galenus teſtantur: iiſque uſum Paulum 1. Eremitam, *S. Hieronym. in vita* ſcribit.

Diogenes itaque cùm vidiſſet puerum aquas manibus haurientem, abjecit poculum, quod habebat ex ligno, dicens: Neſciebam, quòd natura haberet poculum.

De hoc poculo naturali eleganter dictum eſt illud à Calphurnio *in Bucolicis.*

Concavat ille manus, palmaſque in pocula vertit.

Hoc poculo ſæpe milites, & ipſi quoque Duces in bello,
D aliorum poculorum inopia, uti coguntur.

Deus quoq; *Judic.* 7. hoc poculo explorare voluit Gedeonis milites, qui adversùs Madianitas erant pugnaturi. Illos enim à Gedeone ad pugnam illam voluit deligi, qui manu ad os reducta aquas bibant, canumq; inſtar lambebant, contra illos reiici, qui flexis poplitibus, ſeſe ad aquam bibendum adjecerant.

Nero quoque Imperator crudeliſſimus, atque luxurioſiſſimus, (id quod ſæpe hujuſmodi hominibus accidere ſolet) in miſera illa fuga, cùm ad necem quæreretur, extrema ſiti afflictus, aquam cœnoſam (pro delicata illa ſua decocta) haurire fuit coactus, *teſte Suetonio in ejus vita.*

Idem Dario, & aliis ſæpe potentiſſimis, ac ſuperbiſſimis Principibus accidit.

Manibus potatores multifariam in immaniſſimis illis ſuis propinationibus abutuntur, ut experientia quotidiana teſtatur, quo fit, ut illæ juſto Dei judicio plerumque tremore corripiantur, Deo ſic manifeſtè fœdiſſimum manuum abuſum puniente, ac vindicante.

CRANIA.

Capitibus, ſive Craniis humanis Scythæ olim, aliique populi barbari uſi ſunt, quibus etiam nunc hodie nonnulli utuntur. *Sigiſmund. Baro in Comment. rerum Moſcovitarum.* tradit, E
quòd Suvatoſlaum Principem Rhutenorum anno mundi 6480. Cures princeps Pieczenigorum ex inſidiis interfecit, & ex cranio ejus poculum confecit, auro circumdato, cum hac inſcriptione: Quærendo aliena propria amiſit.

CORNUA.

Etiam partes animalium ad poculorum uſum deſtinantur. Ac cornuum quidem ad eam rem antiquiſſimum uſum fuiſſe legimus. *Athenæus lib.* 11. tradit, antiquos ex cornibus bovillis bibere fuiſſe ſolitos, & idcirco Dionyſium κερατοφυῆ cornutum fingi, & Taurum à pluribus nuncupari, ταυρόμορφον, id eſt, taurina facie conſpici in Cyzico.

Ejuſdem moris ex cornibus bibendi, id quoque eſſe indicio, quod & vinum aqua miſcere κεράσαι dicatur, & vas ipſum in quo hujuſmodi mixtio fiebat, κρατὴρ appelletur ἀπὸ τοῦ κέρως quaſi κερατὴρ, ἀπὸ τοῦ εἰς κέρας ἐγχεῖσθαι τὸ πόμα, id eſt, quod potus in cornu infundatur: de quo. *Vide Mercurialem de re gymnaſtica lib.* 1. *cap.* 9.

Hinc *Ambroſius l. de Elia & jejunio cap.* 13. Cornu, inquit, F
in medio vini plenum.

Addit *Athenæus ibidem,* Noſtris quoque temporibus cornuum apparatus cernitur, quæ ῥύτα Rhyta nonnulli appellant. Poetæ prætereà multi antiquos inducunt ex cornibus bibentes. Profert etiam exempla Centaurorum, Thracum, Paphlagonum, Perhæborum, Philippi Regis Macedonum, Regum Pœoniæ, qui ex cornibus (quorum labra nonnunquam vel auro, vel argento operiebant) bibere conſueverunt.

Athenienſes autem argentea cornua facientes, ex iis bibebant.

Ælianus auctor eſt Ptolemæo Secundo ex India cornu bubulum allatum, quod tres amphoras caperet.

Et Xenophon lib. 6. *ἀνάβας. Cyri.* Græcos teſtatur in Paphlagonia in ſacrificio, atque epulo celebri è corneis poculis in regione illa uſitatis bibiſſe: *& lib.* 7. in epulo Seuthæ regis Thracum docet, Xenophontem primum ſurgentem accepto cornu verbis ſpopondiſſe, ſe, ſuoſque Regi fore fidos amicos, inde Seutham unà cum illo cornu illud ebibiſſe.

Ejuſdem rei meminit *Athen lib.* 4. Quidam autem cornua aurea uſurpabant, alii oſculum poculi aureum, vel argenteum G
faciebant.

Pœonios ajunt boves educare, qui cornua geſtent tantæ magnitudinis, ut capere poſſint tres, aut quatuor choas, & idcirco ex iis facere pocula, quorum labia auro, argentove circumducebant, *teſte Athenæo.*

Piloſtratus in vita Apollonii Thyanæi refert, regum pocula olim fuiſſe cornua. Eſſe autem in vicinis locis Phaſidos fluvii aſinos, qui unum in fronte cornu haberent, quo cum elephantis fortiter pugnarent, ex illorum cornibus Indi pocula conficiebant, aſſeruntque, qui ex tali poculo biberit, eo die nullo morbo, nec vulneris dolore, aut ignis flamma offendi, nec veneno intaxari poſſe.

Hoc verò animal non Rhinocerota, cui unum ex naribus cornu prominet, ſed Monocerota *Plinius* appellat.

Nicandri quoque Scholiaſtes memoriæ mandavit, veteres cornibus potare fuiſſe ſolitos.

SAMOGITHAS Urorum cornibus pro poculis, uti teſtis eſt *Sigiſmundus Baro in Comment. rer. Moſcovitar.*

De hoc quoque cornuum uſu antiquo ſcripſit *Mercurialis* H
in lib. 1. *Gymnaſticæ.* ejuſdemque meminit *lib.* 1. *variar. lect.* ubi veriſimile ſibi ait videri veteres cornibus uſos fuiſſe, tum ob rudes eorum mores, tum fortaſſe quod putarent, inde potandi majorem ſecuritatem accedere.

Unde Indorum Reges ex aſini Indici cornu bibere voluerunt, ſperantes ſe à morbo epileptico, & venenis indè tutos evaſuros, *teſte Æliano.*

Cælius quoque *l.* 28. *cap.* 27. *& lib.* 3. *cap.* 1. ejuſdem rei meminit. Hodie quoque, licèt rarior, hujuſmodi poculorum κερατόνων, id eſt ex cornibus, eſt uſus.

OVA.

Ova quoque Struthionum propter amplitudinem pro quibuſdam habebantur olim vaſis, *teſte Plinio l.* 10. *cap.* 1. ex tranſverſo ſecta fiunt vaſa potoria. Caput enim infantis magnitudine referunt rotunda, cùm ſeneſcunt, ebur effingunt. Suſpendi ſolenti in templis, quòd duriſſima ſint, humoreque exempto quaſi oſſea redduntur.

Ex